



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titulus III. De Simonia &, ne aliquid pro Spiritualibus exigatur, vel  
promittatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)



## TITULUS III.

## De Simonia &amp;, ne aliquid pro Spiritualibus exigatur vel promittatur.

**A**ctenus de modis, quibus proceditur in Criminosos & calumniosos criminum Delatores. Sequuntur alia Ecclesiastici, aut Mixti Fori crimina: & præ aliis, quæ specialiter tendunt in contumeliam Dei, rerumque Divinarum vilipensionem: ut est donorum illius Spiritualium injuriosa æstimatrix & licitatrix Simonia.

## ARTICULUS I.

## De Natura &amp; Varietate Simoniæ.

## SUMMARIUM.

1. Origo nominis,
2. Et definitio Simoniæ:
3. Quam constituunt Pæctio, Pretium, & Merx.
4. Alia est Juris Naturalis & Divini:
5. Alia Ecclesiastici duntaxat,
6. Intentionem Simoniacam ex actu præsumptis,
7. Rursum alia Mentalis, alia Conventionalis, alia Realis est,
8. Et quadam Confidentialis, locum habens in beneficiis,
9. Resignatis vel collatis cum portione fructuum,

10. Sicut & cum Ingressus aut Regressus reservatione.
11. In beneficiorum permutatione, non à permuantibus:
12. Sed ea permuatata conferentibus committitur.

**S**imonia nomen sortita est à Simone Mago, *can. Quidam pr. 24. q. 3.* qui donum Dei sive Spiritus sancti gratiam pecuniâ possideri in novo Testamento primus existimavit, *Actor. cap. 8. v. 20.* ut refertur *can. Qui studet, 1. q. 1. & can. Salvator 8. §. Igitur, 1. q. 3.* & cum Glossa in *Summa, V. Quidam, q. 1. cit.* à D. Thoma 2. 2. q. 100. art. 1. aliisque TT. esse dicitur, Studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale aut spirituali annexum.

Aliter, si verba spectes, sed eodem sensu Suarez *Tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 1. n. 7.* Simoniam dicit Sacrilegium, quod committitur emptione aut venditione, seu quovis contractu, quò spirituale ut tale est, pro temporali commutatur; tota namque Simoniæ malitia in eo sita est; quòd quis cum re sacra aut spirituali, hoc est, aliquò modò supernaturali, sive ad spiritualem animæ salutem ordinata, aut ei annexa, in æstimationem venire posse judicet rem prophanam seu temporalem, (quod hæreticum est, ideòque Simonia, *can. Presbyter 3. Sc. q. 1. cit. & c. Quoties 5.*

E



sies 5. hęc Rubr. Hęcresis appellatur) vel illam pro ista emere, aut venalem exponere intendat vel promittat, aut re ipsa emat vendatque, ut cum *cit.* Suarez *cap. 7. n. 13.* & Laiman *Lib. 4. tract. 10. cap. 8. n. 4.* à DD. hęc latè declaratur. Unde

3. Colligitur, ad Simoniam constituendam tria requiri, scilicet Pactum emptio- nis, venditionis sive ejusmodi commuta- tionis, Pretium sive rem temporalem, & Mercem sive rem sacram seu spiritualem, vel spirituali antecedenter, concomitan- ter vel consequenter annexam, quę pro illa sive temporali datur. Singulorum accuratiorem explicationem dabimus *Art. seqq.* postquam retulerimus duas ce- lebriores Simonia partitiones.

4. Primā Simonia, alia Naturalis & Di- vini, alia solum Positivi Ecclesiastici Juris esse, dicitur à Glossā in *c. fin. V. Illicita, de Pactis* & aliis DD. passim. Illa sive Na- turalis & Divini Juris Simonia est, quā pro temporali datur res de se verè spiri- tualis aut huic annexa: ut sunt gratia san- ctificans vel gratis data, Sacramenta, con- secratio, benedictio, Ecclesia vel calix consecratus propter consecrationem, Ec- clesiastica jurisdictio, spirituale Offici- um &c. Ista verò sive Juris solum Eccle- siastici Simonia est, quā una res spiritua- lis aut huic annexa datur pro alia spiri- tuali aut huic annexa: sicut contingit in per- mutatione beneficiorū, quę uti & trans- acti o super lite beneficiāli à permutanti- bus vel colligantib<sup>9</sup> propriā auctoritate factę, labē continent simoniae, Jure Ecce- siastico introductę, *c. Questum 5. c. Cum olim 7. de Rev. permut. c. Cum pridem 4. de Pactis & c. Constitutus 4. de Transact. cit.* Suarez *cap. 2. § 7.* Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 35. n. 25.* & Palao *Tract. 17. disp. 3. p. 2. n. 2.* Ita simoniae etiam sunt resi- gnationes beneficiorum confidentiales paulò post declarandę. Ecclesiastici Juris

Simoniam aliquando etiam committitur, cum res in se temporalis datur pro pretio temporali: sicut contingit, cum Oeco- nomi, Vicedomini, Thesaurarii, Sacristę & similia officia, ad rerum Ecclesię tem- poralium administrationem, defensionē, vel custodiam ordinata, venduntur aut emuntur, *can. Si quis Episcopus, 1. q. 1. can. Salvator, 1. q. 3. § c. Consulere 38. hęc Rubricā.* Sed hinc

Dubium non leve oritur, an, quę est Juris tantum Ecclesiastici, sit propriè di- cta Simonia. Negant enim hoc Paluda- nus in *4. disp. 25. q. 4. art. 2.* & Sotus *Lib. 9. de Justitia, q. 5. art. 2.* Ratio ne- gandi est; quia in permutatione benefi- ciorum nihil temporale: in Oeconomi aut Vicedomini & similibus officiorum venditione nihil spirituale intervenit; quorum tamen utrumque, alterum tan- quam mercem, alterum tanquam pretium exigi, diximus ad constituendam simo- niam.

Sed, licet propter hanc rationem, quę Juris tantum Ecclesiastici est, Simonia minus propriè sit, quàm ea, quę est Juris Naturalis & Divini, simoniae tamen no- mine venire etiam ipsam posse, cum *vis.* Glossę aliorumque Interpp. ac DD. com- muniore sententia sustinent *cit.* Suarez *cap. 2. n. 1. cap. 7. n. 2.* & Lessius *Lib. 2. de I. & J. cap. 35. n. 6.* Ratio est; quia in beneficiis Ecclesiasticis titulo spirituali annexi sunt proventus sive redditus tempo- rales: quorum præcipuè intuitu, cum e- jusmodi permutationes aut resignationes contra dispositionem Ecclesię, ipsas pro- pter periculum & similitudinem cum si- monia prohibentis, attentatę fieri præsu- mantur, rectè pro simoniaciis ab Ecclesiā habentur ea propriā auctoritate permutantes &c. Rebuffus *Practico. 3. p. Tit. de Permutat. n. 52.* Redoanus *de Simonia p. 3. cap. 3. § 13.* & *cit.* Suarez *cap. 2. n. 5.* Simili



Simili modo memorata officia temporalia connexionem & affinitatem quandam habent cum cultu Divino: in cuius diminutionem quia eorum venditio cedere facile potest, ab Ecclesia invendibilia redita sunt instar rerum verè spiritualium hisque annexarum, *cann. & c. Consulere cit.* ut, sicut harum, sic & illorum venditio simoniaca reputetur; cum invendibilia facta sint intuitu cultus divini. Confirmantur ista; quia Ecclesia, sicut actum aliquem ex se indifferentem ex motivo honestatis, quæ in aliqua virtute v.g. Religionem reperitur, præcipiendò, eum materiam talis virtutis, sic etiam actum ex motivo turpitudinis, in vitio v.g. simonia repecta, prohibendò, eum talis vitii materiam facere potest, ut rectè advertit Laiman *cit. Tract. 10. cap. 8. n. 66.*

7. Altera Simonia divisio est in Mentalem, Conventionalem & Realem. Mentalis hoc loco vocatur non, quæ in sola mente, sive interno animi proposito simoniam committendi consistit; talis enim rectius Simonia Interna dicitur: sed, quæ res spiritualis in compensationem temporalis, aut hæc propter rem spiritualem acceptam quasi ex debito datur, quin præcellerit aliqua pactio vel conventio externa, v.g. si quis Episcopo serviat; ut ab eo accipiat beneficium, vel hoc sibi confertur, tanquam debita merces & compensatio servitorum, ut ex *e. Tua nos 34. §. Licet & c. fin.* desumit Gonzalez in *e. cit. n. 2.* & ante eum *cit.* Suarez *cap. 41. n. 3.* Conventionalis est, quæ in pactum expressum vel tacitum transit; sicut contingit, cum de re temporalis pro spirituali, aut contrà de hac pro illa danda verbis aut aliò modo convenitur. Quæ, si neutrà ex parte traditio secuta est, Simonia Conventionalis pura: si verò traditio solius spiritualis, vel solius rei temporalis ex conventionem facta sit, Mixta nuncupatur,

*cit.* Suarez *n. 6.* & Laiman *n. 67.* Realis demum secundum eosdem DD. ea tantum dicitur, quæ tam pretii sive rei temporalis, quam spiritualis sive mercis traditione perfecta est & consummata. Unde hæc simonia conventionali executionem sive traditionem utrinque factam, sicut conventionalis mentali expresse vel tacite initam pactioem externam superaddit.

8. Non prætermittenda hoc loco est Jure solum Ecclesiastico introducta species Simonia, quæ à fiducia, cui innititur, vocatur Confidentialis, locumque duntaxat in beneficiis Ecclesiasticis habet & committitur, cum quis beneficium quocunque, simplex vel curatum, Seculare vel Regulare, alicui quocunque modo, v.g. eligendò, præsentandò, conferendò vel in ejus favorem resignandò procurat cum certa confidentia, id est, expresse vel tacito pacto, quòd is, cui id procuratur, post aliquod tempus idem beneficium ipsi procuranti vel alteri sit resignaturus, vel pensionem aut fructus ex eo præstaturus, ut ex *Constitutionibus* Pii IV. quæ incipit *Romanum, 7. Calend. Novemb. 1564.* & Pii V. quæ incipit *Intolerabilis, Calend. Jun. 1569.* editis amplius constat.

9. Committitur ergo hæc simonia aliquando à renuntiante & conferente beneficium, cum hoc ille renuntians dimittit, aut iste confert cum providentia seu pacto pensionis seu alicujus fructuum portionis, alicui alteri vel aliis tantum personis, secundum Navarrum *Consil. 76. hæc Rubr. n. 6.* & Lessium *cit. cap. 35. n. 27.* vel etiam ipsi resignanti vel conferenti solvendæ, ut cum Garcia *p. 11. de Benefic. cap. 3. n. 194.* existimant *cit.* Suarez *cap. 43. n. 7* & Palao *Tract. 17. disp. 3. p. 18. num. 6.*

10. Præcipue verò *cit. Constitutionibus* tanquam Simonia Confidentialis species prohibentur collationes & resignationes,



tiones, quæ fiunt cum reservatione Accessus, Ingressus aut Regressus ad beneficium. Accessus reservari dicitur ab eo, qui beneficium Cajo, ejus nunc ob ætatis aut aliud impedimentum incapaci, obvenire cupiens, id Titio confert ea conditione seu pacto; ut id post aliquot annos à Titio dimittendum consequatur & propria autoritate apprehendendi jus habeat Cajus, sublatò ætatis aliòve impedimentò, jam factus ejus capax, Laiman *cit. cap. 8. n. 75.* & Flaminus *Lib. 6. de Resignat. q. 5. n. 111.* Ingressus autem ab eo, qui beneficium sibi collatum, sed nondum possessum, alteri v.g. Cajo resignat cum pacto, sive reservato jure ingrediendi illius possessionem casu, quò Cajus præmortuus, vel ad Episcopatum promotus, vel Religionem professus fuerit, aut ex alia causa illud deseruerit, Idem *n. 114.* Regressus reservare dicitur, qui beneficium, sibi collatum jamque possessum, Cajo v.g. resignat cum pacto idem recuperandi casu, quò id per ejus obitum, promotionem, professionem est vacaturum, vel debita pensio non solvenda, Idem *n. 6.* Et hi beneficia resignandi modi etiam à S. Synodo Tridentina (salvâ tamen Apostolica potestatis Plenitudine) abrogati sunt *Seff. 25. cap. 7. de Reformar.* à laudatis autem summis Pontificibus, iis etiam coram Prælati locorum Ordinariis factæ resignationes, tanquam simoniacæ, penitus irritatæ, partim; quòd speciem referrent hæreditariæ successione, à sacris Canonibus in beneficiis semper reprobata, *can. Apostolica 6. & can. Si ergo 15. V. Nulla hic 8. q. 1.* partim verò; ut captandæ vel optandæ mortis alienæ occasio vel ambitiosa cupiditas in beneficiis tolleretur, Flaminus *ibid. n. 96.* Unde

Dubium oritur, an simonia Confidentialis locum habeat in beneficiorum permutatione, Dubitandi ratio est; quia

etiam ista fieri potest cum certa confidentia sive pacto de permutatione cum tempore dissolvenda & regressu ad priora beneficia, vel de iis in favorem nepotum aut aliorum resignandis, vel cum reservatione partis fructuum sibi vel aliis applicandæ.

Verius, à sic permutantibus non Confidentialem, sed Juris communis simoniam committi, cum Navarro *ad hanc Rubr. Lib. 5. Consil. 75.* docent *cit. Suarez cap. 43. n. 11* & Laiman *n. 75.* eâ ducti ratione; quòd *cit. Constitutiones Pii IV. & V. expressè loquantur de resignatione & cessione, & penales sint atque odiosæ; ac proinde locum non habeant in resignatione ex causa permutationis; cum ad hanc nequeant extendi, arg. Reg. Odia 15. in 6.* eamque earum verba etiam non comprehendant; quòd resignationis & cessionis nominibus, communi usu Jurium ac DD. non veniat ea, quæ fit ex causa permutationis.

Dixi tamen, *A permutantibus*, sive quatenus hi de permutationis dissolutione & reditu ad beneficia conveniunt inter se; non etiam de Ordinariis & aliis collatoribus; quia ab istis, si beneficiorum permutationem cum confidentia sive pacto; ut ad ea vel eorum alterum cum tempore adipiscendum jus alteri tribuatur, vel; ut fructuum pars sibi aut saltem alteri v.g. collatoris consanguineo pendatur, admittant, Confidentialem simoniam committi, satis clarè expressum est *Constitut. Pii V. verbis, Si Ordinarius vel alius collator contulerit vel conferat beneficium quòvis modo, ac proinde etiam ex causâ permutationis vacans eâ conditione tacita vel expressa, &c.* ut observant *cit. Suarez n. 11. & Palao n. 2.*

☞ (✕) ☞

ARTICUL.



ARTICULUS II.  
De Simoniaca Pa-  
ctiōne.

## SUMMARIUM.

13. Hōc nomine venit Contractus Reci-  
procus & Onerosus.
14. Non etiam donatio.
15. Facta sine pactiōne, taxatione,  
exactione;
16. Spectatō tam antiquō quā noviss-  
mō Jure:
17. Et ab Innocentio XI. damnata Pro-  
positiōne 45. non obstante.
18. Pro spirituali temporale sicēdē pro-  
mittens peccat:
19. Simoniā tamen non committit.
20. Spirituale ministranti debetur sti-  
pendium sustentationis:
21. De quo ille pacisci absque Simo-  
nia potest.

13. **E**mptionis & Venditionis, seu Pa-  
ctiōnis Simoniacae nomine in Si-  
monia definitione & materia  
venit quicumque contractus o-  
nerosus & reciprocus, & omnis con-  
ventio, tam tacita quā expressa, vi  
cujus spirituale pro temporali tanquam  
pretio datur vel promittitur, S. Thomas  
2. 2. q. 100. art. 1. ad 5. Navarrus *Ma-  
nual. cap. 23. n. 105.* & ceteri DD. pas-  
sim. Unde

14. Dubium oritur primō, an ergo gra-  
tuitā donatione committi nequeat Simo-  
nia. Ratio dubitandi desumitur Primō  
ex *can. Emendari, l. q. 1. c. 1. hāc Rubric.*  
quorum textuum posteriori pro Ordina-  
tione, usu Pallii &c. ordinatus, Palliō  
donatus &c. priori idem & baptizatus or-  
dinanti, vel baptizanti quidquam, etiam

gratis, dare prohibentur. Secundō ex  
decreto S. Synodi Trident. *Sess. 21. cap.  
1. de Reformat.* pro collatione Ordinum  
quorumcunque & Clericalis tonsuræ, pro  
literis Dimissoriis &c. quidquam, *Etiā  
sponte oblatum*, ab Episcopis, vel aliis il-  
lorum collatoribus quovis prætenu acci-  
pi, vetantis; & *Sess. 24. cap. 18. V. Cave-  
antque, de Reformat.* pro examine ad be-  
neficia curata quidquam recipientes vel  
dantes Simoniæ vitio obnoxios reddentis.  
Tertiō ex Propositionibus à sanctis-  
simæ memoriæ Innocentio Papa XI. da-  
mnatis: quarum XLV. est, *Dare tem-  
porale pro spirituali non est Simonia, si  
temporale sit solum gratuita compensatio  
pro spirituali & contrā.*

At, licet in foro externo, quodcun-  
que donatio rei temporalis fit ante colla-  
tum spirituale, id, quod donari dicitur,  
in commutationem rei spiritualis confe-  
rendæ dari præsumatur, verè tamen me-  
reque gratuita & sine pacto & animō al-  
terum sibi obligandi factā donatione Si-  
moniam ex natura rei non committi, ex-  
ploratum est ex *can. Quam pio 2. in fine,  
can. Sicut Episcopum 3. V. Is autem, l.  
q. 2. c. Dilectus 30. ibi, illud tamen  
gratanter recipi poterit, quod fuerit sine  
taxatione, sive pactiōne, ut Glossa  
V. Taxatione adnotavit, gratis oblatum.*  
Ratio perspicua est; quia, ut Simonia  
committatur, temporale habere debet  
rationem pretii: cui donum verè merce-  
que gratuitum & sine pactiōne oblatum  
opponitur; cū id, quod datur tan-  
quam pretium, quasi ex obligatione &  
pactiōne, & non merè gratuito detur,  
*Laiman. Lib. 4. Tract. 10. cap. 8. n. 8.*  
& novissimè Cassianus à S. Elia Theolog.  
*Moral. expurg. V. Simonia 1. cap. 1. n. 6.*

Neque, gratuitam etiam oblati-  
onem rei temporalis, istiusque ex ea re-  
ceptionem labe infectam, evincunt *can.*

E 3 Emendari



*Emendari* & c. 1. *cit.* textus; quia c. 1. *cit.* sermo non est de datione gratuita, ut liquet ex verbò *Vendere*, denotante contractum onerosum, pretium exigentem, *pr. V. Pretium, Instit. de Empt. Vendit. & l. Inter 2. ff. de Contrab. empr.* Glossa in c. 5. *V. cit.* De eadem merè gratuita concessione *can. Emendari cit.* non agitur, patet ex *can. Dilectum 106. q. 1. cit.* non merè gratuitam, sed cum exactione factam nummorum dationem vetante, ut in *can. Emendari cit. V. Non mittant*, Glossa probè observat.

Neque decretum S. Synodi Tridentinæ; quia *cap. 1. cit.* sponte oblatis (si ante ordinationem, vel post eam quidem, sed non ex obligatione præcedente fiat) receptionem, non ut Simoniacam, sed tanquam ex avaritiæ affectu profectam prohiberi, docet Palao *Tract. 17. disp. 3. p. 5. n. 2.* id desumens ex verbis, *Quoniam omnia avaritia suspicio abesse debet*: Simoniacæ autem favere ejusmodi receptionum taxas & consuetudines à S. Synodi PP. ideo censeri, asserit; quòd occasionem præbeant Simoniacæ, & avaritiæ istius labis radix sit ac sumentum. Eòdem modò *cit. cap. 18.* non merè liberaliter, sed ex obligatione & in commutationem datorum receptionem prohiberi, idem *n. 3.* desumit ex *can. Quando 5. dist. 24.* ejus margini adjectò: quòd *cap. cit.* dispositio videtur referri: & muneris tanquam pretii receptionem prohiberi, ex verbo *Vendere* constat.

17. Neque etiã autoritas Papæ Innocentii, relatam Propositionem damnantis; quia ab eo damnari solummodo videtur propositio sive doctrina, à Simoniacæ pravitate absolventium gratuitas rerum spiritualium compensationes, quæ fiunt, interveniente pacto & conventionne, ut in ejus declaratione Cassianus *l. est. n. 7.* observat. Ratio est; quia lau-

datus Papa dictam propositionem damnandò non corripit Jus antiquum: quòd gratuitas ac spontaneas donationes absque Simonia fieri posse, planum est ex *can. Quam pio, can. Sicut Episcopum & c. Dilectum cit.*

Dubium secundo est de pactione sive contractu oneroso, ex parte unius tantum ficto. Quò certum est Simoniam, saltem mentalem ex parte ejus, qui verè habet animum præstandi spirituale vel temporale, quod promittit; & saltem grave peccatum committi ex parte alterius, qui talem animum non habet; quia fictè duntaxat promittendò v.g. spirituale, pernitiosè, scandalosè, imò & sacrilegè mentitur. Ex parte istius pactionem insuper verè Simoniacam esse, existimat Navarrus *Comment. ad c. In hac Rubr. n. 10.* quod, mediante promissione rei temporalis, licet fictà, alterum ad spirituale conferendum obligare, intendat.

19. Sed ex hac ratione aliud non inferitur, quàm quòd iste alteri præbeat occasionem peccandi; & propterea, ut dictum, graviter peccet; non autem, quòd intendat emere spirituale pro temporali; hòc ipsò enim; quòd careat animò dandi temporale, non habet animum emendi spirituale pro temporali. Quam ob rem, ab eo pœnas, Jure latas in Simoniacos, non incurri, cum Cajetano *Tom. 2. Opusc. tract. 9. q. 2.* & Soto *Lib. 9. de Justit. q. 8. art. 1.* rectè censent Suarez de *Simoniam cap. 42. n. 5.* & Lessius *Lib. 2. de l. & l. cap. 35. n. 11.* ubi hic Doctor addit, ab isto beneficium retineri posse, siquidè ejus collatio facta sit à legitimo collatore.

Neque verum est; quòd, ut Navarrus urget, tali casu rationem pretii habeat ipsa promissio; quia beneficium confertur pro re promissa, non pro ipsa promissione; aliàs enim Simonia foret Realis:



Realis: non Conventionalis duntaxat, ut vult Navarrus.

20. Dubium tertio est de pactione, quæ convenitur de stipendio sive congrua, hoc est, personæ suæ conveniente sustentatione. Cujusmodi stipendium clericis spiritualia ministrantibus deberi, patet ex illo Apostoli, *Quis militat suis stipendiis unquam?* 1. Corinth. cap. 9. v. 7. etiam si aliunde v.g. ex bonis patrimonialibus congruam sustentationem haberent, ut ex communi DD. sensu & universali Ecclesiæ praxi docet Laiman. *Lib. 4. tract. 10. cap. 8. n. 13.* & dictum est *Lib. 3. Tit. 25. n. 28.* cum enim Jure Naturali alimenta debeantur in alterius gratiam laboranti, & ex sententia Servatoris nostri dignus sit operarius cibo suo, *Math. cap. 10. v. 11.* etiam clericis ministrantibus spiritualia debetur stipendium ad sustentationem, *can. fin. 1. q. 2.*
- De eo tamen initas pactiones pro Simoniacis cum Hostiensis in *c. Significatum 11. de Prob. & dignit.* habent Sylvester *V. Simonia, q. 9. d. 3.* & Richardus in *4. dist. 25. art. 3. q. 2.* quod in spiritualibus omnis pactio & conventio debeat cessare, *21. c. fin. de Pactis.* Sed melius cum Glossa in *c. Significatum cit. V. Ita quod, Pa-normit. in c. cit. n. 8.* Redoano de *Simonia, p. 2. cap. 27.* & aliis, eas Simonicas esse, negat *cit. Suarez cap. 46. n. 4.* Ratio est; quia ex una clericis spiritualia ministrantibus stipendium Jure Naturali & ex Justitia debetur: sicut additis militiæ seculari, secundum Apostolum *cap. 9. & v. 7. cit.* ex altera verò parte, ex Justitia debitum, & quoad quantitatem lege vel consuetudine non determinatum, ut quoad hanc determinetur, in pactum deducere illicitum non videtur: dummodo caveatur; ne ex pacto exigatur tanquam compensatio ipsius officii vel functionis spiritualis, sed solum

tanquam sustentatio necessaria ministro, vel tanquam compensatio laboris: non quidem ipsis actibus & functionibus spiritualibus v.g. sacificationi intrinseci; quia talis æstimationem ab ipso actu distinctam non habet; sed tantum extrinseci, conjuncti cum incommodo vel obligatione certam horam vel alienum nutum expectandi, faciendi iter, certum locum adeundi, alia negotia & commoda sua negligendi &c. Gutierrez *Lib. 1. Q. 2. Canon. cap. 29. n. 25. cit. Suarez cap. 21. n. 15. & 18. & Palao p. 11. n. 3.*

### ARTICULUS III.

## De Pretio Simoniaco.

### SUMMARIUM.

22. Hòc nomine venit quævis res temporalis,
  23. Sive munus A manu, Ab obsequio, A lingua,
  24. Spirituale ministranti exhibitum ex pacto:
  25. Etiam beneficium Ecclesiasticum;
  26. Non quævis alia res spirituales.
  27. Conferri beneficium potest sub onere prius incompatible:
  28. Non etiam compatibile dimittendi.
  29. Resignari etiam potest Ecclesia sub onere solvendi debita, ejus nomine contracta.
  30. Resignatio sub onere solvendi expensas in litem factas Simonicæ est:
  31. Nisi resignatio in beneplacitum Pape conferatur.
- N**omine Pretii hòc locò non venit sola Pecunia, ut §. *Item pretium 2. Inst. de Empt. & vendit.* sed quæcunque res tempora-



temporalis pretiō æstimabilis, & afferentem temporalem. Quo sensu a... pretium triplex, scilicet Munus à *Manu*, munus ab *Obsequio* & munus à *Lingua* distinguit S. Gregorius *can. Sunt nonnulli*, 1. q. 1. relatus.

23. Munus *A manu* dicitur quæcunque res temporalis pretiō æstimabilis, mobilis aut immobilis, etiam incorporalis: sicut sunt jura, census, pensiones: uti & pecuniæ mutatio, debiti remissio, dilatio, solutio, &c. *can. Talia* 8. q. 3. c. *Veniens* 10. de *Test. & attest. c. Unie. Ut benef. sine diminut. &c.* Navarrus *Manual. cap. 23. n. 101.* Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 20. n. 64. & Laiman. Lib. 4. Tract. 18. cap. 8. n. 25.*

Munus *Ab Obsequio* sunt quæcunque obsequia sive servitia temporalia, famulatus, administratio rerum, negotii gestio facta ex pacto vel sub obligatione rei spiritualis, vg. Ordinis aut beneficii conferendi, c. *Cum essent* 12. ubi Panormit. n. 5. & Laiman. cit. n. 25.

Munus *A lingua* vocantur laudes, commendationes, preces vg. si quis alicui, apud Principalem gratioso, conferat beneficium cum pacto interponendi apud eum preces, intercessionem, commendationem &c. Panormit. in c. *Tuam* 10. de *Ætat. & qualit. n. 7. cit.* Navarrus n. 102. Suarez de *Simonia cap. 4. à n. 1. & Laiman. cap. cit. n. 26.* Unde

24. Dubium oritur primò, an ergo Simoniacum sit omne munus & obsequium præstitum ei, qui exhibet rem spiritualem, vg. confert, eligit, præsentat, aut in favorem resignat beneficium. Cui præter jam dicta ansam præbuit n. 14. relata, & ab Innocentio XI. damnatarum Propositio XLV. Pro cujus declaratione juxta ibidem dicta censeo, ejusmodi muneris vel obsequii temporalis præstationem pretii Simoniaci rationem

solùm habere, quando non fit purè; sed sub conditione, vel expresso aut tacito pacto, vel cum exactione aut animò commutandi pro spirituali, vel ad hoc conferendum alterum obligandi. Quò modò fieri præsumitur, si rei spiritualis exhibitionem antecedit: non item, quando fit omnino purè & sine conditione pacto vel exactione & animò commutandi vel alterum sibi obligandi, ut ex *can. Quam pio* 2. *can. Sicut Episcopum* 3. *Et. 1. q. 2. c. Esi questiones* 18. c. *Dilectus* 30. in *sine & c. Tua* 34. hæc Rubr. defumitur, & cum cit. Suarez *cap. 45. n. 4.* tradit Laiman. cit. *cap. 8. n. 8.*

25. Dubium secundo est, an ejusmodi pretium esse nequeat res spiritualis, Beneficium Ecclesiasticum ejus rationem respectu alterius beneficii, saltem ex dispositione vel præsumptione Juris Ecclesiastici aliquò modò habere, patet ex c. *Quæstum* 5. *Et c. Cùm olim* 7. de *Rer. permut.* atque etiam ex dictis n. 5.

26. Idem generaliter de aliis rebus spiritualibus docuere Richardus in 4. *dist. 25. art. 3. q. 1.* Paludan. *dist. cit. q. 2. n. 15.* & alii apud cit. Suarez *cap. 30. n. 3.* id desumentes ex c. *fin. de Pactis*, ubi tanquam Simoniaca generaliter reicitur omnis pactio circa rem spiritualem. Sed veriùs, rem verè spiritualem, extra materiam beneficialelem & cum beneficiis connexam, pretii Simoniaci rationem per se respectu alterius verè spiritualis rei habere, cum Glossa in c. *cit. V. Cesare*, & Panormit. in c. *Statuimus* 2. de *Transact.* n. 5. negant cit. Doctor n. 5. Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 35. n. 31.* & Palao *Tract. 17. disp. 3. p. 15. n. 1.* Unde sacre Reliquiæ inter se, una functio spiritualis pro alia, vasa & vestes sacre pro aliis, quæ quoad materiam ejusdem sunt valoris, dari propriâ auctoritate possunt, quin committatur Simonia. Ra-



nia. Ratio est; quia pretium ideo Simoniacum est; quia est improporcionatum cum re spirituali aut huic annexa, pro qua datur; spirituale autem respectu spiritualis, cum ejusdem Ordinis sit, non est improporcionatum; ut proinde hoc pro illo dari queat, juxta illud, *Gratiam pro gratia*, Joan. cap. 1. v. 17. Quare *c. fin. cit.* & alios textus, qui in contrarium allegari solent, de pactionibus tantum inhonestis, cujusmodi extra materiam beneficiale sunt, quæ inter rem spiritualem & temporalem sunt, exaudiendos, cum Glossa in *can. Quam pio*, V. *Patris*, l. q. 2, & Panormit. *cit. n. 8.* notat Gonzalez in *c. fin. cit. n. 8.*

27. Dubium tertio est, an ejusmodi pretii rationem habeant cessio beneficii prius legitime possessi, faciendi ab eo, cui aliud beneficium confertur. Cujus resolutio pendet ex qualitate beneficiorum; cum, si posterius sive conferendum incompatibile sit cum priori, per cessionem dimittendo; ut, illud collatum & possessum, hoc vacet ipso Jure; quod v.g. utrumque curatum aut duo uniformia, puta duo canonicatus sub eodem tecto sunt, neque beneficium pretii, neque conventio, vi cuius prius post pacificam possessionem posterioris dimittendum est, pactionis Simoniacæ rationem habeat, ut cum Glossa in *c. Ad audientiam* 31. de *Rescript.* & Panormit. in *c. Significasti* 4. de *Elect.* n. 6. docet Garcias p. 8. de *Benef. cap. 2. n. 22.* Ratio est; quia obligatio hujusmodi beneficiorum prius dimittendi posterioris collationi inest ipso Jure, *c. De multa* 28. de *Præb. & dignit. c. Literas* 9. de *Concess. Præb. Extravag. Execrabilis* Joan. XXI. de *Præb. & dignit.* & S. Synodi Trident. *Sess. 7. cap. 3. de Reformat.* ea autem, quæ licet non exprimantur, Jure tacite insunt, in traditione rei spiritualis exprimi, ut insunt, sine la-

be Simoniæ possunt: quod Regula instar præter DD. *cit.* tradunt Felinus in *c. Ad audientiam* *cit. n. 8.* Flamin. *Lib. 7. de Rescript.* q. 7. n. 22. & Barbosa in *c. Significasti* 4. de *Elect.* n. 2. Si beneficia ita incompatibilia non sunt, ut posterioris collatio prioris vacationem ipso Jure inducat: aut etiam, si hanc ita inducat, sed exigatur; ut primum ante pacificam possessionem secundi dimittatur, beneficii dimissio pretii, & conventio pactionis Simoniacæ rationem habere censetur, saltem ex Juris Ecclesiastici dispositione, ut cum iisdem docet Palao *cit. disp. 3. p. 3. n. 5.* Ratio est; quia collatarius subiret onus indebitum & obligationem aliunde non imminentem. Quæ ratio est, cur Simoniaca etiam sit beneficii collatio cum pacto & obligatione præstandi juramentum de illo non permutando in favorem tertii, vel cum reservatione fructuum non resignando, Flamin. de *Confident.* q. 52. n. 10. & *cit.* Palao n. 6.

29. Dubium quartum est de debitis, quibus clericus gravatus est nomine Ecclesiæ vel Prælatuæ, ut ad solutionem ista obligetur. Illa enim solvendi obligationem, si à clerico, Ecclesiam vel Prælatuam resignante, in resignarium transferatur, pretii rationem habere, & resignationem labe Simoniacæ inficere, aliqui volunt apud *cit.* Flamin. *Lib. 14. de Rescript.* q. 7. n. 64. quod ea resignatio ab onere libera non sit. Verum, quia onus & debita illa solvendi obligatio, licet non exprimitur, resignationi inest ipso Jure, successorem in Ecclesia vel Prælatuam canonicè institutum, ac proinde etiam resignarium ad ejusmodi debitorum solutionem obligante, *c. 1. de Solutionibus*, obligationem illam pretii Simoniacæ rationem habere, ab eaque resignationem labe aliqua infici, rectè negat Do-



negat Doctor *cit.* Ratio est; quòd ea, quæ ipso jure insunt, exprimi & in pactum deduci, juxta dicta non prohibeantur, *c. Significasti cit.* junctâ Glosâ *V. Conditione* & DD. *cit.* cum eorum expressio onus & obligationem novam non afferat, neque adaugeat antiquam, sed inexistentem solummodo declaret.

30. Dubium quintò est de expensis, factis pro beneficio litigioso, donec pacificè possideretur. Quas pretii Simoniaci rationem non habere; & propterea eum, qui pro beneficio litigioso multas expensas fecit, id demum pacificè possessum, sub conditione & onere expensarum sibi solvendarum, resignare sine labe Simoniaca posse, quidam existimant apud Suarez *de Simonia cap. 35. n. 24.* quòd sic resignans beneficium tribuat gratis, nullùmque temporale lucrum exigat pro spirituali, sed solummodo se servet indemnem.

Sed meliùs, hujusmodi resignationem labe infectam & expensas pretii Simoniaci rationem habere, idem Doctor & *cit.* Palao *p. 17. n. 15.* affirmant cum *cit.* Flamin. *Lib. 14. q. 7. n. 1.* pro sua hac assertione Rotæ decisionem allegante. Ratio est; quia dictas expensas solvendi onus non est annexum ipsi beneficio: sicut ei annexæ non sunt expensæ & labores suscepti pro ejus assentione; & propterea, sicut isti rationem pretii, sic & sub eorum solvendorum obligatione facta renuntiatio Simoniacæ pactionis rationem habet. Neque verum est, quod tali casu beneficium tribuatur gratis; cum enim expensas solvendi obligatio pretii æstimabilis & onerosa sit, qui eam cum beneficio in alium transfert, lucrum & utilitatem reportat, scilicet liberationem à solutione expensarum: & qui eam cum beneficio recipit, pro isto pretium solvit.

31. Etsi verò hæc ita sint, expensas tamen illas solvendi aliâque beneficio ex natura sua aut fundatione non annexa onera subeundi, aut aliqua præstandi obligationes in illius resignatione à resignante in resignarium transferri queunt auctoritate Apostolicâ, de iisque transferendis præviò tractatu inter eos conveniri potest: non quidem omnino absolutè; cum absolutæ pactiones, & ex solo pacificentium factò obligantes, rei aliunde indebitæ promissiones, in beneficiorum traditionibus & translationibus, tanquam Simoniacæ, apertè reprobentur, *c. Cum clericis 6. c. fin. de Pactis c. Quæstum 5. & c. Cum olim 7. de Rev. permutat.* sed sub conditione futuri beneplaciti & approbationis Papæ; in hujus enim voluntatem collatas de beneficiis conventiones ac promissiones à Simoniæ vitio immunes esse, cum Felino *in c. Ad audientiam 31. de Rescriptis n. 3.* & Navarro *Manual. cap. 23. n. 107.* defendunt Sanchez *Lib. 4. Consil. cap. 3. dub. 39. n. 2. cit.* Suarez *cap. 24. n. 24.* Flamin. *de Confident. q. 40. n. 38.* & Card. de Luca *Tract. de Benef. disc. 36. à n. 24.* & *Tract. de Canonis disc. 29. n. 4.* Ratio est; quia, si tractatu de ejusmodi resignatione sedis Apostolicæ beneplacitum & approbatio accedat, ea quæ ex ipso præstanda sunt, præstari censentur, non tam ex consensu & conventionem resignantis ac resignarii, quàm ex beneplacito & voluntate Papæ: qui propter supremam plenamque de dignitatibus ac beneficiis Ecclesiasticis disponendi potestatem, *c. Licet 2. de Prob. & dignis. in 6. & Clement. 1. Ut lite pendens.* sicut in beneficio redditus temporales à spirituali officio separare, sic ei adicere potest onera & obligationes aliunde non annexas.

• (o) •

ARTI-



## ARTICULUS IV.

De Merce Simoniaca,  
sive re Spiritualis.

## SUMMARIUM.

32. Spirituale est, quod aliquò modò  
supernaturale,  
33. Aut cum isto conjunctum est.  
34. Nec refert, an spirituale ex sua ef-  
fectia,  
35. Vel ejus causa:  
36. Ut Novæ Legis Sacramenta, Sa-  
cramentalia,  
37. Et Officia Ecclesiastica:  
38. Vel effectus tantum sit:  
39. Ut sunt I. donum Prophetia, grã-  
tia Miraculorum.  
40. II. Actus cujuscunque Ordinis:  
41. Quorum tamen occasione sustentã-  
tionis stipendium accipi,  
42. Et vi consuetudinis moderatè exigi  
potest:  
43. Imò aliquando, Sacramentum ali-  
ter neganti, prestari.  
44. III. Predicatio verbi Divini.  
45. IV. Absolutio Sacramentalis & Di-  
spensatio:  
46. Pro qua pecuniam non accipit cõ-  
ria Romana.  
47. V. Admissio ad Novitiatum & Pro-  
fessionem,  
48. Modernã consuetudine non obstante.  
49. VI. Provisiones beneficiales.  
50. VII. Alii actus jurisdictionis Eccle-  
siasticæ,  
51. Eorũque, non etiam aliorum a-  
ctuum, negationes.
32. Spirituale hic non dicitur, quod in-  
corporeum, ut Deus, Angeli, a-  
nima rationalis: sed, quod aliquò

modò supernaturale, & ad spiritualement  
animæ salutem, vel ex institutione Divina,  
vel ex destinatione Ecclesiæ, est ordina-  
tum, ut optimè Navarrus *Manual. cap. 23.*  
*n. 99.* Suarez *de Simoniâ cap. 8. n. 6.*  
& Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 35. n. 5.*  
Quod priusquam plenius declaretur, ex-  
pediendum est

Dubium, an merx sive materia Si-  
moniæ esse nequeat res merè temporalis.  
Ratio dubitandi oritur ex *can. Si quis Ep-  
iscopus, 1. q. 1. can. Salvator, 1. q. 3. &*  
*c. Consulere 38. hãc Rubr.* quibus locis  
pro Simoniacis habentur, qui vendunt  
emũntque officia Oeconomi, Vicedomi-  
ni, Advocati, Sacrificæ, Syndici & Ju-  
dicis: quæ Ecclesiæ quidem, sed mune-  
ra merè temporalia sunt, & spectant Ec-  
clesiastici Thesauri, sive rerum ad Eccle-  
siam & Episcopum, ad canonicos aliõsque  
clericos pertinentium custodiam, admi-  
nistrationem, defensionemque: quæ a-  
ctiones merè temporales sunt, ut cum  
Glossa & Interpp. ac DD. aliis eruditè  
ostendit *cit. Suarez cap. 29. n. 1. & 8.*

At, esto, dicta officia in se spiritualia  
non sint & actiones spirituales non re-  
spiciant, eorum tamen venditio prohibi-  
ta & Simoniaca est ex dispositione Ju-  
ris Ecclesiastici, ea Simoniæ materiam  
constituentis *can. & c. cit.* propter con-  
junctionem, quam cum Ecclesiis & per-  
sonis Ecclesiasticis, sive ad Divinum cul-  
tum per consecrationem deputatis ha-  
bent, ut supra dictum *n. 5.* & cum TT. &  
Canonistarum Principibus D. Thoma 2. 2.  
*q. 100. art. 3. & Panormit. in c. Consulere*  
*cit. n. 2.* communis tenus est DD.

Porro Spiritualium quædam talia  
Imprimis sunt in se & per essentiam, ut  
gratia Sanctificans, virtutes Theologicæ  
& Morales divinitus infusæ, dona Spi-  
ritus sancti & gratiæ gratis datæ quasi in  
habitu consideratæ, character Sacramen-  
talis &c



talís & similia: quæ mercem sive materiam esse Simoniam, & eorum, tanquam rerum nullò pretiò æstimabilium, venditionem Simoniacam esse; D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 1. aliique TT. & Canonistæ desumunt ex illo, *Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam existimasti, donum Dei pecuniâ possideri*, Actor. cap. 8. v. 20. Unde Simoniam committeret, qui servum Christianum vel sacerdotem, præcisè quia tales sunt, pluris venderet quàm paganum vel laicum; quia sic gratiam sanctificantem, fidem aut characterem sacramentalem vendere censeretur, ut rectè observant Ugolinus de *Simonia Tab. 1. cap. 36. n. 3. & cit. Suarez cap. 5. n. 9.*

35. Dein alia Spiritualia sunt causaliter; quòd gratiæ sanctificantis aliorumque prioris generis spiritualium sint causæ: cujusmodi imprimis sunt septem novæ legis Sacramenta: dein sacramentalia omnia, tam transeuntia, sive ea, quæ in actione transeunte consistunt: ut nuptiales & similes aliæ benedictiones, Ecclesiæ exorcismi &c. quàm permanentia, quæ habent effectum permanentem: ut sunt consecratio Ecclesiæ, altaris, calicis, benedictio aquæ, olei, cerei &c. & demum officia Ecclesiastica, ad spirituales sive supernaturalem finem ordinata: ut sunt prædicatio verbi Divini, Orationes, quæ ex Ecclesiæ institutione in choro, processionibus &c. publicè ac privatim fiunt &c. Sylvester V. *Simonia. q. 1. d. 3. & Suarez cit. cap. 9. n. 1.* Ex quibus

36. Primò Sacramenta, cum gratiæ sanctificantis causæ sint, mercem sive materiam Simoniam esse, generaliter colligitur ex *can. fin. 1. q. 3. & c. Cum in Ecclesia 9. hâc Rubr.* ubi; ne pro Sacramentis conferendis seu collatis aliquid exigatur, generali prohibitione cavetur.

Idem in specie habetur de Baptismo *can. Baptizandis 100. can. Quidquid 102. Sc. 1. q. 1. de Confirmatione & extrema Unctione, can. Quidquid cit. can. Placuit 103. Sc. q. 1. cit. & can. fin. cit. de Eucharistia, can. Nullus 101. can. Dicitur 106. q. 1. cit. de Penitentia, c. Nemo 14. hâc Rubr. de Ordine san. 1. can. Quicumque 2. Sc. q. 1. cit. c. 1. Rubric. cit. & Trident. Sess. 21. cap. 1. de Reformat. de Matrimonio, quatenus est Sacramentum; quia, sicut reliqua novæ legis Sacramenta, sic etiam ipsum causâ est gratiæ sanctificantis, secundum definitionem ejusdem S. Synodi Sess. 7. can. 6. & Sess. 24. can. 1. Cui*

Non adversatur; quòd in matrimonio intervenire passim soleant pecuniæ, dotis augmenta &c. quia non interveniunt, neque exiguntur pro eo, quatenus Sacramentum: sed solummodo, quatenus est contractus humanus; ut ad æqualitatem reducat; ut assignatâ ab uxore dote ampliori in marito excellens nobilitas, doctrina &c. compensentur; ut alatur uxor, & alia matrimonii onera supportentur, ut in *c. Cum in Ecclesia cit.* notant Panormit. n. 3. & Barbosa n. 4. & ipse Doctor Angelicus observat *q. cit. art. 2.*

Secundò sacramentalia, non solùm transeuntia, sed permanentia quoque, materiam eorumque venditionem simoniacam esse, communis DD. sensus & ratio perspicua est, quia sunt ministeria sive ritus sacri & actus Ordinis clericalis; quos materiam simoniam esse, infra statuetur.

37. Tertiò, etiam Officia Ecclesiastica mercem sive materiam simoniam esse, cum S. Thoma *q. cit. art. 3.* passim tradunt TT. & Canonistæ, id desumentes ex *Matth. cap. 10.* cujus v. 8. Apostolis ad Evangelii prædicationem missis Christus Dominus, *Gratis, inquit, accepistis, gratis date:*



is dare: & ex e. *Ad nostram* 21. ubi, pro ministerio sive officio Ecclesiastico pecuniæ exigi, generaliter prohibentur. Ratio est; quia prædicatio Evangelii seu Verbi divini, divinaque officia & orationes publicæ ac privatæ principaliter ad cultum Dei, ad gratiam aliâque bona spiritualia & supernaturalem animæ salutem consequendam sunt instituta.

38. Demum alia Spiritualia dicuntur; quod sint effectus sive actus, à gratia dono & officio ac potestate spirituali, tanquam à causa, proximè procedentes; cujusmodi sunt

39. Primò, Prophetia, patratio miraculi & similes actus: quos materiam simoniæ esse, extra omne dubium est; cum sint gratiæ gratis datæ, de quibus Servator noster *Gratis*, inquit, *accepistis, gratis date, cit. V. 8.*

40. Secundò, actus Ordinum, vg. collatio Baptismi vel Confirmationis, consecratio, ordinatio, actus sepeliendi &c. quos mercedem sive materiam eorumque venditionem simoniacam esse, Regulæ generalis instar cum S. Thoma *cit. art. 3. tradunt cit. Sylvester cit. q. 9. & Suarez cap. 13. n. 1.* patetque ex e. *Cum in Ecclesia* 9. c. *Ad nostram* 21. c. *Suam* 29. &c. Ratio clara est; quia, licet physicè actus materiales, spirituales tamen sunt, tam ex parte principii, scilicet potestatis Ordinis & characteris spiritualis, quàm ex parte finis; quod ad sanctissimum Missæ sacrificium, ad gratiam & salutem animæ supernaturalem proximè ordinentur, & conferant Spiritualem aliquam sanctificationem.

Pugnare cum his videri potest praxis Fidelium offerentium: imò etiam Parochorum, pecuniam exigentium pro Baptismi, Pœnitentiæ & extremæ Unctionis administratione, pro assistentia Matrimoniali, pro Missis, sepulturis &c. At re-

vera non pugnat; quia imprimis olim, licet fidelium eam piè offerentium devotio laudata, exactiones tamen prohibitiæ fuerunt, e. *Ad Apostolicam* 42. Dein, licet huic VV. Canonum rigori contrariæ consuetudo passim invaluerit, nunquam tamen, ut pretium ejusmodi administrationis & actus spiritualis; sed in vim eleemosynæ aut tanquam stipendium necessarium pro sustentatione ministrorum, & post spirituale ministerium jam præstitum exigebantur, ut post D. Thomam *art. 3. cit.* notant Vivianus in e. *cit. & ibi Barbosa à n. 3.* Sed hinc

Dubium oritur, quomodo dicta consuetudo valeat tolerari. Ratio dubitandi est; quod e. *Non satis* 8. in fine & e. *Cum in Ecclesia* 9. cit. pro Sacramentis conferendis, pro sepultura &c. aliquid accipi prohibeatur: & contrariæ consuetudo non obscurè reprobetur. Neque id immeritò; quod parochis aliisque curatis congruam sustentationem præbeant, reditus beneficiales.

Nihilominus consuetudo, vi cuius non solum per modum eleemosynæ oblationes spontaneæ: sed etiam pro congrua sustentatione exactiones, juxta taxam ab Episcopis approbatam moderatæ, sine violentia & post spiritualium administrationem sunt, tolerari potest, præsertim, si sit immemorialis. Ratio est; quia imprimis praxis illa originem duxisse videtur ex eo; quod parochi sæpe non haberent congruam sustentationem, ob eorum reditus sæpe multum diminutos, & decimas personales & minutas, etiam ex cafeo, ovis, pomis, lana &c. Jure debitas, e. *Ex multiplici* 3. c. *Pervenit* 5. c. *Non est* 22. de *Decimis* & contrariâ consuetudine passim sublatis: quibus non vana suspicio est, reditus, qui *Stole* dicuntur, successisse, Engel *ad hanc Rubric. n. 6. in fine.* Deinde; quia, si consuetudo im-



memorialis sit, obtinet vim legis & privilegii, fundatque præsumptionem, ejusmodi exactiones legitime, v.g. pro stipendio & congrua sustentatione, aut in vicem dictarum decimarum, & modò ab Ordinariis approbatò continuatas, *arg. l. Hoc Jure 3. §. 4. ff. de Aqua quotid. §. c. Super 26. junctâ Glossâ V. Non extat, de V. S. Barbosa in c. Ad Apostolicam cit. n. 19. & Engel cit. n. 6.*

Quare textibus in contrarium adductis reprobari solum videtur consuetudo non legitime præscripta, vel sine rationabili causa & per actus, quibus pecunia in compensationem administrationis, vel ante istam, aut immoderatè extorquebatur, vel eam non solventibus Sacramenta negabantur &c. introducta: cujusmodi consuetudo, quia scandalosa & avaritiæ simoniæque labem, aut saltem speciem refert, *c. Non satis §. c. Cum in Ecclesia cit.* meritò reprobatum secundum Gonzalez *in c. cit. n. 8. & Vivianum in c. cit. §. Nec valet.*

Neque verum est, quòd parochi hodie ubique aliunde habeant congruam sustentationem: & si istam hodie haberent, nihilominus consuetudo, ejus vel alio simili intuitu legitime præscripta, observanda foret, per tradita à Panormit. *in c. Suam cit. n. 12. Felino in c. Ad Apostolicam cit. n. 12. & Barbosa in c. cit. n. 7.*

43. Dubium etiam est de numeratione pecuniæ factâ Sacerdoti, aliàs nolenti administrare Sacramentum. Quam ex parte Sacerdotis, eam exigentis: imò etiam numerantis, extra calum extremæ necessitatis, simoniacam esse aut præsumi, nemo facile inficiatur: nisi numerans, pecuniam à se non pro ipsa administratione Sacramenti, sed ad redimendam tantùm injustam vexationem vel ob aliam similem causam dari, palam protestaretur, aut aliunde constaret: quò casu eum à simonia

præter alios absolvit Palao *Tract. 17. diff. 13. p. 7. n. 4.*

Extremæ quoque necessitatis casu, v.g. cum periculum est, ne infans sine baptismo, aut peccati mortalis conscius sine Sacramentali absolutione decedat, Sacerdoti, aliter baptismum aut absolutionem conferre renuenti, factam pecuniæ numerationem pro simoniaca cum Glossâ *in can. Baptizandis cit.* habet Paludanus *in 4. diff. 25. q. 8.*

Sed, esto, pro ipso Sacramento ejusque administratione pretium offerri nullo valeat, extremæ tamen necessitatis urgentis casu ejusmodi Sacerdoti pecunia offerri potest, quin donum Dei pecuniâ possideatur: si nimirum non pro ipsa Sacramenti administratione, sed ad istius sustentationem, vel ad captandam ejus benevolentiam aut avaritiam satandam offeratur fere, sicut pagano captivam detinenti sacram Hostiam offerri potest, non quidem pro ipsa sacra Hostia, sive Christo sub panis specie latente: sed; ut ab injuria desistat; si enim hoc casu minis & terroribus, cur non etiam blanditiis ac muneribus flectere liceat sacrilegam & injustam ejus voluntatem, Suarez *cap. 12. n. 17. & 18. & Lessius Lib. 2. de J. & J. cap. 35. n. 39.*

Tertio, prædicatio Verbi Divini: 44. quam mercem sive materiam simoniæ atque invendibilem esse, patet ex verbis Servatoris, Apostolos ad novæ & Evangelicæ Legis prædicationem in omnem terram dimissos hortantis, *Gratù accepistis, gratis date, Matth. cap. 10. V. 8.* Ratio est; quia est ministerium, ad cognitionem, amorem & cultum Dei in hominibus excitandum promovendumque, & ad spiritualem animarum salutem procurandam divinitus institutum, juxta illud, *Euntes in mundum predicare Evangelium omni creatura: qui credideris & baptizatus fuerit*



fuert, saluus erit, Marci cap. 16. V. 16. S. Thomas cit. art. 3. Sylvester V. cit. q. 9. & Suarez cap. 18. n. 22. Eadem fere ratio est doctrinæ Christianæ: pro cuius traditione, si modo exhortatorio, ut à parochis aliisque clericis in Ecclesiis & alibi in publicis plateis (non, ut à pædagogis & ludimagistris eam, perinde ut à aliarum artium præcepta ad exercendam puerorum memoriam tradentibus) fieri solet, pretium exigi & accipi sine simonia nequit, Suarez cap. cit. n. 24. qui tamen, n. 23. sicut aliis, qui spiritualia ministrant, sic etiam ejusmodi Prædicatoribus & Catechistis necessariæ sustentationis stipendia permittit, monet c. Cum voluntate 4. §. Prædicatores, de Sent. excommunicat. ubi Barbosa n. 3.

45. Quartò, actus jurisdictionis spiritualis fori interni & externi: ut sunt absolutio à peccatis & censuris, dispensationes in votis, juramentis & canonicis impedimentis Ordinum & Matrimoniorum, in legibus Ecclesiasticis &c. quos mercedem sive materiam simoniæ & invendibiles esse, expressum est can. Nullus Episcopus 124. q. 1. cit. c. Nemo 14. c. Ad aures 24. hâc Rubr. & Trident. Sess. 24. cap. 5. de Ref. Matrim. ubi in conjugiorum impedimentis, & Sess. 25. cap. 18. de Ref. quò locò in sacris Canonibus & legibus Ecclesiasticis dispensationes gratis concedi jubentur. Ratio est, quia actus illi spirituales sunt, tam ratione principii sive potestatis spiritualis, quàm ratione finis, scilicet salutis animarum supernaturalis, quam conscientiarum vincula relaxandò intendunt, S. Thomas art. 2. § 3. cit. Sylvester q. 8. § 9. & Suarez cap. 19. n. 1. & cap. 20. n. 8.

46. Neque obstat praxis curiæ Romanæ & sedis Apostolicæ legatorum, pro dispensationibus pecunias, & quò illæ difficiliore sunt, istarum quantitatem majo-

rem, exigentium. Non, inquam, hæc obstant; quia Imprimis plurimæ dispensationes etiam Romæ expediuntur omnino gratis. Deinde; quia in iis, quæ gratis non expediuntur, nunquam pecunia exigitur pro ipsa dispensatione: sed in Papæ ejusque Officialium sustentationem, & pro aliis piis usibus ac necessitatibus Ecclesiæ sublevandis, Garcias de Benef. p. 8. cap. 1. n. 101. & aliquando in poenam delicti præcedentis, v.g. in dispensatione irregularitatis, ex homicidio, vel affinitatis ex copula fornicaria ortæ, Suarez cit. cap. 20. n. 12. & 13. Deum; quia, quod hac in re propter supremam suam potestatem facit Papa, diocesani Ordinarii non possunt, propter cit. decreta Concilii Tridentini, in dispensationum concessione nihil quòcunque titulo, præsertim in suam utilitatem exigi & accipi permittentia: quibus decretis, tanquam legibus Ecclesiæ universalibus, etiam Episcopi adstringuntur, cit. Garcias n. 111. Ugolinus Tab. 1. cap. 52. n. 5. & Suarez cit. cap. 20. n. 14.

Quintò, admissio ad Novitium & 47. Professionem Religionis: pro quibus, tanquam jurisdictionis & potestatis spiritualis perfectionem Charitatis & animarum salutem spectantibus actibus, aliquid exigi & recipi nequit, can. Quam pio, 1. q. 2. c. Veniens 19. de Regular. c. Non satis 8. c. Cum in Ecclesia 9. c. Quoniam 40. c. Audivimus 41. & Extravag. 1. Inter com. hic.

Neque, pretii receptionem pro ejusmodi admissione à simoniæ labe immunem esse, persuadet moderna Monasteriorum, ab admittendis præsertim Monialibus recipientium, imò exigentium pecunias, deque his paciscentium, praxis; quia in multis præsertim virorum monasteriis nihil, nisi in vim piæ ac liberalis oblationis, admittitur: & nunquam, etiam in Monia-



in Monialium monasteriis, aliquid exigitur pro ipsa admissione ad Novitiatum vel Professionem; hoc enim utique simoniacum foret, per *cc. cit.* sed tanquam congrua dos pro onere alendi personam: quod Monasterio inopi iure permistum, docent Navarrus *Manual. cap. 23. n. 106.* Suarez *cap. 17. n. 18.* & Barbosa *in c. Quoniam cit. n. 4.* Si verò redditibus abundet, aliquid exigere quidem sacri Canones *l. viii.* vetuerunt, passim tamen invaluit & toleratur illis contraria consuetudo: quam, si diuturna, & ob Monasteriorum, ad suorum congruam sustentationem sufficientes proventus ex fundatione non habentium, necessitatem introducta sit, non damnandam, cum Lessio *cit. cap. 34. n. 70.* Suarez *de Censur. disp. 22. f. 5. n. 13.* & aliis tradit Laiman *Lib. 4. tract. 10. cap. 8. n. 39.*

49. Sexto, electio, confirmatio, nominatio, presentatio, institutio, collatio, investitura & similes actus, quibus beneficia, dignitates & Prælaturæ Ecclesiasticæ obtinentur: quos etiam materiam esse simoniæ; & propterea venditioni non obnoxios, proditum est *c. Cum in Ecclesia 9. c. De hoc 11. c. Matthæus 22. c. In tantum 36. in fine. c. Audivimus 41. c. Ne Dei 43. &c.* Idem de concessione Pallii habetur *can. Sicut Episcopum, 1. q. 2.* & inde translato *c. 1. hâc Rubr.* Ratio est; quia hi omnes sunt actus jurisdictionis aut officii sive muneris & potestatis spiritualis, electoribus, patronis, collatoribus ab Ecclesia ad finem spirituales specialiter concessæ, & ad iurium & administrationis spiritualis concessionem ordinatæ.

50. Septimo demum, alii actus jurisdictionis Ecclesiasticæ; quos, sive voluntariæ sive etiam contentiosæ jurisdictionis sint, materiam simoniæ esse, aliis DD. relatis tradit *cit. Suarez cap. 20. n. 16.* & desumit ex *can. Vendentes 10. junctâ Glossâ V.*

*Justitiam. 1. q. 3. Ex c. Cum ab omni 10. de Vita & honest.* Ratio est; quia sunt ministerium Ecclesiasticum, pro quo aliquid exigere prohibetur, *c. Ad nostram 21.* & à spirituali atque à Deo ad gubernandam Ecclesiam gratis data; & propterea ex vi suæ institutionis gratis exercenda potestate procedunt.

Dubium hic est de memoratorum § 1<sup>o</sup> actuum spiritualium omissione, quæ an labe infecta, ab eâve immunis sit, pendet ex ipsorum actuum omissionum qualitate; cum, si ii sint jurisdictionis, eorumque omissione homo moraliter ligetur, detineatur, repellatur &c. cuiusmodi actus sunt absolutio à peccatis vel censuris, approbatio pro Ordinibus, cura animarum &c. eorum omissione simoniam committi posse, cum S. Thoma *cit. art. 3.* Glossâ *in c. Nemo 14. V. Celest.* Panormit. *in c. cit. n. 6.* aliisque tradit Suarez *cap. 22. n. 9.* patetque ex decisione *c. cit.* cuius textu largitio muneris, sicut pro penitentis reconciliatione, sic etiam pro huiusmodi reconciliationis negatione facta, simoniaca declaratur. Ratio clara est; quia, sicut absolvere, approbare &c. sic etiam absolutionem, approbationem &c. negare & omittere, actus & exercitium jurisdictionis ac potestatis spiritualis, & moraliter idem sunt, quod ligare, repellere, indignum declarare.

Si verò actus ab ejusmodi jurisdictionis potestate sint independentes: ut sunt oratio, celebratio Missæ, baptizatio infantis &c. eorum non solum injustè, sacrilegè, sed justè quoque & ex debito exercendorum omissionem materiam simoniæ; ac proinde eam pro re temporalis factam, simoniacam non esse, ex communi DD. sensu docet *cit. Suarez n. 11.* quod, si actus esset injustus, sacrilegus &c. ejus redemptio, nec per se mala, neque prohibita, sed laudabilis sit; cum fiat ad impediens.



pediendum peccatum: si verò actus honestus aut debitus sit, ejus omisso nihil spirituale, sed naturalis tantum libertatis sit usus: qui quâ ratione simoniacus sit, non apparet: nisi fortassis pro ejus omissione oblatum pretium, in alicujus fructus aut boni spiritualis aliàs percipiendi sive ejus jacturâ compensationem datum sit vel acceptum. Quod postremum addit *cit. Laiman n. 43.* & attingit Suarez *cit. n. 11. pr.*

## ARTICULUS V. De Re Spirituali annexa.

### SUMMARIUM.

62. *Vendi nequeunt Spirituali annexa antecedenter:*
63. *Ut Jus patronatûs.*
64. *Templa, calices, aliaque res consecrata & benedicta,*
65. *Quoad materiam tamen hæc vendi possunt:*
66. *Non tamen integra laicis & ad profanos usus,*
67. *Vel pretiò auctò ratione consecrationis.*
68. *Emi terra potest pro sepultura;*
69. *Et ista vendi juxta estimationem fundi.*
60. *Communis sepultura venditionem permittens consuetudo Jure reprobata,*
61. *Aliquando tamen tolerabilis est.*
62. *Simoniaca est venditio rei, quæ concomitanter:*
63. *Non tamen merè per accidens,*
64. *Vel consequenter annexa est spirituali.*
65. *Beneficij venditio Simoniaca est, saltem Ecclesiasticò:*
66. *Imò Naturali & Divinò Jure;*

67. *Ut vendi nequeat etiam quoad jus percipiendi redditus temporales.*
68. *Simoniaca etiam est oblatio pecuniæ pro intercessione apud collatorem:*
69. *Non etiam pro informatione de qualitate persona.*
70. *Pretiò redimi potest injusta vexatio in beneficio plenè obtento,*
71. *Non etiam in obtinendo:*
72. *Nisi ab eo, qui obesse, non prodesse potest, inferatur.*
73. *Pecuniâ impediri aliquando potest electio indigni.*

**S**pirituali annexæ dicuntur res, quæ, sicut licet in se Spirituales non sint, cum his tamen connexionem aliquam habent. Sunt eæ triplicis generis.

Quædam enim Spirituali annexæ sunt antecedenter; quod ad Spirituale præsupponantur, idque præcedant: ut sunt Templa, altaria, calices, alia vasa, vestes, resque sacræ aut benedictæ, quæ sacrificium Missæ & quoad materiam, ipsam etiam consecrationem vel benedictionem suam antecedunt, Suarez *de Simonia cap. 23. n. 3.* Ita Spirituali annexum etiam est Jus patronatûs; quia Spirituales officii ministrorum in Ecclesiis vel beneficij institutionem præcedit, ad eamque ordinatur, ut dictum *Lib. 3. tit. 38. n. 6.* Ex quibus

Posterior hoc sive Jus Patronatûs mercem, ejusque venditionem Simoniacam esse, apertè traditur, *c. De Jure 16. de Jure patronat. c. Præterea 9. de Transact. & Trident. Sess. 25. cap. 9. de Reformat.* Ratio est; quia à Spirituali potestate, sicut beneficia Ecclesiastica, sic etiam ipsum institutum est: & ad clericorum, sive Spirituales officii ministrorum, institutionem ordinatur, Lambertini *Lib. 1.*

G

Lib. 1.



*Lib. 1. de Jure patronat. p. 2. q. 1. art. 12. n. 17. Vivianus Tract. eodē Lib. 4. cap. 5. n. 5. & cit. Suarez cap. 28. n. 7. & 10. Quod licet ita sit, nihilominus patronatūs jus, quando alicui bonorum universitati, vg. castro, aut villæ annexum est, eā venditā, ad emptorem etiam ipsum transit, c. Cūm seculum 13. junctā Glossā V. Emptorum, de Jure patronat. dummodo ipsum patronatūs jus vendi non exprimat, & ratio ne ejus annexi pro castro majus pretium non exigatur, ut cit. Tit. 38. n. 114. est dictum.*

54. Priora, scilicet templa, vasa & reliquam Ecclesiæ suppellectilem, consecratione vel benedictione affectam, mercem sive materiam venditioni non obnoxiam esse, delumi à DD. solet ex *can. Si quis objecerit, 1. q. 3.* Ratio est; quia, licet res in se temporales, spirituali tamen consecratione vel benedictione, ut insinuat, affectæ & aliquid supernaturale sunt; cū à spirituali potestate procedant, & ad finem spirituales sive supernaturalem proximè ordinentur.

An autem Ecclesiæ, calices aliæque vasa consecrata vel benedicta vendi etiam nequeant quoad materiam & secundum istius æstimationem, dubium & ratio dubitandi nascitur ex *can. Si quis objecerit cit.* cujus percelebri & difficili textu Ecclesiæ, sicut quoad consecrationem, sic etiam quoad materiam vendi prohibetur: & revera ipsos calices &c. quamdiu consecrationem retinent & contracti non sunt, temporali pretio æstimari ac vendi non posse, cum Panormitano in *c. Ea qua 16. n. 1.* sustinuit Angelus V. *Simonia 2. an. 23.* & Tabiena *ibid. à n. 39.* quorum Opinioni non obscure favet S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 4. ad 1.

55. Contrarium tamen cum Navarro *Manual. cap. 23. à n. 108.* & Soto *Lib. 9. de Justitia q. 6. art. 1.* meritò defendunt Redoanus

*p. 3. de Simonia, cap. 17. à n. 6. & cit. Suarez cap. 14. n. 6.* pro se præter alios etiam allegantes D. Thomam in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. Ratio est, quia hujusmodi Sacramentalium materia valorem & æstimationem suam non amittit per consecrationem; ut propterea vendi post hanc, sicut antè, valeant, prout calices consecratos emi vendique passim videmus.

Neque hujusmodi Sacramentalium materia commercio penitus subtrahita est *can. Si quis objecerit cit.* quia eò Imprius sermo non est de rebus consecrationem antecedentibus, ut est materialis Ecclesiæ: sed illam, hoc est, Ordinationem, sive Ecclesiæ vel Abbatia collationem consequentibus, ut est jus percipiendi redditus temporales: quod cum Glossa *ibi V. Sed res, cit. Suarez n. 13.* & aliis DD. *cit. Barbosa in can. cit. n. 2.* desumunt ex Decreto Gregoriano correcto, in quo pro verbis, *Nam cūm corporalis Ecclesia aut Episcopus vel Abbas,* tanquam mendosis, legitur: *Nam cūm Ecclesia corporalis Episcopus vel Abbas &c.* de cujus proinde Ecclesiæ Episcopali vel Abbatiali dignitate & rebus corporalibus, hoc est, redditus temporales percipiendi jure, hōc ipsō; quod illa sine his in nullo proficiat, hoc est, subsistere queat: & Episcopali vel Abbatiali autoritate separari non possint, *can. cit.* meritò dicitur; quod *Quiaquis alterū vendit, alterum invenditum non derelinquat.* Deinde, quia, si literæ incorrectæ inhæreamus, textus ille de rebus consecratis, quarū materia consecratione separabilis non est, vg. de Ecclesiā, ut Ecclesiā est &c. intelligendus est cum Valentia *tom. 3. disp. 16. p. 2. §. Ultimo* quò modò acceptæ Ecclesiæ, cūm utrumque simul includat, unum vendi sine altero non potest.

Passim tamen & rectè hōc locò duo 56. DD. notant. Primum est, vasa & ornamenta sacra casu, quò non Ecclesiā, aut ad Ec-



ad Ecclesiasticos: sed laicis & ad prophanos usus venduntur, priusquam tradantur, conflanda, confringenda vel diffuenda esse, juxta *l. Sancimus 21. & Aub. Præerea C. de SS. Eccles. Barbosa in cit. l. n. 9. & Aub. n. 5.* Alterum, cavendum; ne cum calices & similia ad usus Ecclesiasticos venduntur, pretium augeatur propter consecrationem vel benedictionem; hoc enim utique Simoniacum foret, Suarez *cap. cit. n. 16.* Neque refert; quòd cruce Hispanicæ &c. carius vendantur, quàm exigat materiæ valor & artificii æstimatione; quia id solummodo fit ad componendos sumptus & labores itinerum, impensos in eas ex Hispania asportandas, Engel *ad hanc Rubr. n. 17. in fine.*

57. Eadem, quæ Ecclesiarum, ratio est sepulturæ: de quatenus, licet Simoniacæ materia, ejusque venditio propterea generaliter & indistinctè prohibita videatur, *can. Quæstia est 12. can. Postquam 13. Ec. 13. q. 2. c. Abolenda 13. de Sepult. c. Cum in Ecclesia 9. & c. Audivimus 41. hanc Rubr. distinctio tamen est adhibenda, &c.*

Primò quidem, pro simoniaca habenda non est venditio terræ, sive loci ad fidelium defunctorum sepulturam deputandi, ut non obscure supponitur *can. Aurum, 12. q. 2. & præter Glossam in c. Abolenda cit. V. Sepultura, Panormit. ibid. n. 4.* aliòsque Interpp. tradunt S. Thomas *cit. q. 100. art. 4. & Redoanus de Simonia p. 3. cap. 16. à n. 14.* Ratio clara est; quia terra res merè materialis & pretiò æstimabilis est; ac proinde, sicut aurum vel argentum pro calice, & ipsam etiam terram pro Ecclesia, sic etiam pro sepultura vendenti, quid obitare possit, non apparet.

Secundò, contrà ejus ad fidelium sepulturam benedictæ, quæ talis, non minus quàm Ecclesiæ vel calicis consecrati,

quæ talium, venditionem Simoniacam esse, indubitatè desumitur ex *text. antè cit.* Ratio non minus clara est; quia, ut consecratione vel benedictione affecta, à spirituali potestate ad finem spiritualem proximè deputata; ac proinde quid spirituale etiam ipsa est.

Tertiò, nihilominus, qui suis aut majorum suorum sumptibus extructam sepulturam quoad proprietatem, præcisè juxta valorem fundi & æstimationem expensarum in eam factarum vendit, immunis est à labe Simoniacæ; cum enim ita calices & secundùm S. Thomam *cit. art. 4. in necessitate etiam terra, ubi Ecclesia fuit, vendi possint, non est, cur juxta valorem fundi & structuræ æstimationem vendi posse, negetur sepultura, ut cum cit. Doctore Angelico tradunt Sylvester V. cit. q. 12. d. 3, Suarez cap. 14. n. 18. & Barbosa in c. Abolenda cit. n. 7.* Hòc tamen non obstantè

60. Quartò, in loco pro communi fidelium sepultura consecrato hæc, quoad ipsam etiam terram, alicui vendi Jure Ecclesiasticò prohibetur *can. Quæstia & c. Audivimus cit.* Imò pro ea aliquid exigendi consuetudo tanquam corruptela reprobatur, *c. Abolenda & c. Cum in Ecclesia cit.* Quod etsi omnino verum sit de consuetudine, vi cujus aliquid temporale exigeretur pro loco sepulturæ, habitò respectu ad ejus consecrationem vel benedictionem, vel ampliorem fructum spiritualem, ratione precum aut sacrarum functionum in eo peragi solitarum, aut vicinæ alicujus altaris consequendum: aut vi cujus, nisi certâ pecuniâ numeratâ, fidelium defunctorum cadavera excluderentur, & inhumata relinquerentur, aut jam tumulata exhumarentur; hæc enim à Christiana pietate & omni humanitate aliena, atque omnino intolerabilis perversitas & sordities foret, Barbosa *ad*



*Concil. Trident. Sess. 24. cap. 13. de Ref. n. 36. & Engel ad Rubric. de Sepulturis num. 16.*

61. Etsi, inquam, hoc ita se habeat, non damnanda tamen videtur, ubi recepta est, consuetudo: vi cuius non tantum sponte oblatum recipere, sed etiam aliquid exigeretur pro fabricæ vel cœmiterii conservatione, cantorum aliorumque sepulturæ ministrorum sustentatione, pro honoratiore vel eminentiore loco, absque respectu tamen ad hujus sanctitatem aut fructum spiritualem, vel pro obligatione non nisi ex certa aliqua familia defunctorum cadavera ad certum Ecclesiæ vel cœmiterii locum aut sacellum admittendi, ut multis aliis DD. relatis docent Barbosa de Officio & Potest. Parochi cap. 26. à n. 16. Frances de Eccles. Cathed. cap. 16. à n. 92. & Gonzalez in c. Abolenda cit. num. 2.

62. Aliæ res spirituali annexæ dicuntur concomitanter; quod iis intrinsecè sint conjuncta: ut est labor corporis, qui ipsâ sacrificio aut aliò ministerio & functione spirituali subitur: & hoc ipsò; quod ejusmodi actibus intrinsecus ab ipsaque inseparabilis & indistinctus sit, sicut hi, sic etiam ipse materia Simonix & in vendibilis est. Ratio est; quia sacrificatio ni intrinsecus labor nullam aliam æstimationem habet, quàm ipsa sacrificatio, utpote ab ista inseparabilis & indistinctus; atque idcirco venditioni obnoxius non magis est, quàm ipsa sacrificatio, Sylvester V. Simonia q. 9. Sotus Lib. 9. de Justitia q. 6. art. 1. & Gutierrez Q. D. Canon. Lib. 2. cap. 29. n. 12. Alia ratio est sacrificatio extrinseci & accidentarii laboris, v.g. ipsi beneficio & officio non annexi accessus ad locum distantem, incommoda expectationis temporis seu certæ horæ, damnosæ omissionis vel dilationis alicujus negotii intuitu celebrationis; hæc

enim & similia onera subeundi & propria negotia commodaque intermitendi suscepta obligatio, cum Missæ celebrationi per se non annexa & accidentaria, prætiòque æstimabilis sit, ejus intuitu aliquid accipere sacrificans & exigere etiam absque Simonix aliæve labe potest, arg. c. Significatum 11. junctâ Glossâ V. Ita quod, in fine de Prab. & dignit. cit. Gutierrez n. 25. & Suarez n. 13. Casu etiam, quò hujusmodi merè accidentarius labor Missæ celebrationi conjunctus non est, stipendium sustentationis accipere sacrificantem, idque tanquam Divino & Naturali Jure debitum petere non prohiberi, liquet ex dictis n. 20.

64. Aliæ demum spirituali annexæ sunt consequenter; quòd spirituale tanquam causam præsupponant: ut sunt beneficia & pensiones Ecclesiasticæ, decimæ, sive eas, uti & primitias atque oblationes percipiendi jura, quæ officium sive ministerium spirituale tanquam causam sive radicem & fundamentum præsupponunt, Azor Instit. p. 3. lib. 12. cap. 8. q. 1. Ex quibus decimæ (eadem primitiarum & oblationum ratio est) easve percipiendi jus, quando Simonix materia & extra commercium sit, Lib. 3. Tit. 30. à n. 83. est dictum.

65. Beneficia autem Ecclesiastica quæcunque, uti & Ecclesiasticas pensiones materiam Simonix esse, præter textus, pro actibus canonicam in iis institutionem spectantibus allatos, can. Presbyter 3. Ec. 1. q. 1. can. Si quis dator 3. Ec. ibid. q. 3. c. Cum pridem 4. c. Cum clerici 6. de Pædis c. Constitutus 4. c. Super eo 7. de Transact. c. Unico, ut benef. sine diminut. c. Tua nos 34. aliisque cc. præsentis Rubricæ subjectis passim habetur, & Orthodoxorum DD. nemo est, qui non agnoscat.

Dubium tamen, & non modica inter eos con-



eos controversia est de Jure, quò materia siue merx Simoniaca evaserunt; Ecclesiasticò enim duntaxat id constitutum, cum Glossa in c. Ex parte 12. V. *Dimittere, de Offic. Deleg. & Felino in c. cit. n. 1.* à Papa, pro collatione beneficii pecuniam accipiente, Simoniam non committi asserente, cum Decio in c. cit. n. 7. & Interpp. aliis tradunt Navarrus *Manual. cap. 23. n. 108.* Clarus §. *Simonia, n. 5.* & Garcias p. 1. de *Benef. cap. 2. n. 9.* partim; quòd in sacris literis tanquam Simoniacum nihil damnetur, præter venditionem prædicationis Evangelii, Sacramentorum & gratiæ Miraculorum Matth. cap. 10. v. 8. & Actor. cap. 8. v. 19. partim verò; quòd in beneficiis spiritualibus annexum sit temporali: spiritualia autem, quæ temporalibus annexa sunt, per venditionem transferri valeant saltem quoad temporale, & secundum ejus affirmationem, ut de sacris vasis & jure patronatus, castro aut villæ annexo, est dictum.

66. Sed melius beneficia Divinò & Naturali Jure esse materiam Simoniam; ac proinde venditioni minimè obnoxia, cum Panormit. in c. 1. n. 6. hoc saltem de curatis sentiente, generaliter defendunt Sylvester V. *Simonia, q. 12. d. 6. & 7.* Covarruvias in *Reg. Peccatum p. 2. §. 8. sub finem,* Victoria *Relect. de Simonia, p. 1. n. 44. cit. Suarez cap. 24. n. 7.* Laiman. *Lib. 4. tract. 10. cap. 8. n. 44.* & alii, quorum hac de re sensus Jure nititur & ratione. Jure quidem *can. Saluator 8. §. Is igitur, & can. Ex multis p. §. Ita scientia, l. 9. 3.* quorum canonum priori Urbanus II. rei Ecclesiasticæ siue, ut Glossa V. *Ecclesiasticam* notat, beneficii venditionem Simoniacam esse, colligit ex verbis, *Pecunia tua tecum sit in perditionem,* Actor. cap. 8. v. 19. quibus Divinò, imò Naturali Jure vetita Simonia dam-

natur: posteriori verò eum, qui beneficium, & eum, qui sacramentis impositionem siue Spiritum sanctum vendunt, à Concilio Calcedonensi pari poenà plecti, Alexander II. testatur, procul dubio; quia paris criminis uterque est reus. Consonant textus *can. Presbyter, can. Si quis dator & c. Non satis est.* quibus beneficia vendentes Simoniacæ hæresis, atque à Giezi & Simone mago perpetratorum, Divinòque & Naturali Jure damnatorum criminum reis comparantur. Ratio est; quia jus percipiendi redditus temporales, quod continetur in beneficiis, ex istorum primæva institutione annexum est Officio spirituali; ut non nisi propter hoc, c. *fin. de Rescript. in 6.* & clericis, ad officia & ministeria Divina per sacros Ordines deputatis, aut saltem primà confurà initiatis, c. *In Ecclesia 2. de Institutionibus* competere valeat; & propterea, sicut officium, sic etiam redditus propter id percipiendi jus Divinò, imò Naturali Jure invendibile est, *arg. can. Si quis obfecerit cit.* quamdiu ab officio, siue spiritualibus administrandi jure, Apostolicâ autoritate non separatur: quod rectè addit Palao *Tract. 17. disp. 3. p. 13. n. 3.* Unde planè corruiat adversæ partis argumentum prius.

Neque urget alterum; quia latum discrimen est inter beneficium & jus patronatus; hoc enim cum fundo, cui annexum est, vendi potest; quòd fundus, uti & materia in calice, patena &c. spirituale, scilicet jus patronatus vel consecrationem antecedant, atque hæc ipsis accessoria sint: secus, quam contingit in beneficiis; in his enim redditus, eosque percipiendi jus posterius & accessorium est officio spirituali; ut proinde jus ad redditus, propter officium percipiendos, vendi nequeat, quin vendatur spirituale of-



uale officium, in quo jus illud fundatur, nisi ab isto separetur: quæ separatio cum Apostolicâ duntaxat autoritate fieri queat, redditus beneficiales percipiendi jus absque Simonia labe vendere, præter Papam, nemo potest, *citt. Suarez n. 35. & Palao n. 3. cit.*

68. Dubium secundo, & in praxi satis frequens controversia est, an Simonia materia & invendibilis etiam sit intercessio, sive, an Simoniacum sit, exigere vel dare pecunias pro intercessione sive commendatione aut interpositione precum apud Episcopum aliumve beneficii collatorem, patronum &c. pro sacra ordinatione, collatione beneficii, ad hoc præsentatione, vel suffragio in electione, pro gratia dispensationis, aliòve spiritali ab eo obtinendo. Ratio dubitandi est; quia ejusmodi intercessio, commendatio, preces sunt aliquid merè temporale, sicut informatio de meritis & qualitatibus personæ, ad Ordines, beneficium &c. aspirantis: pro qua promitti, dari, accipi aliquid temporale posse, cum Navarro *citt. cap. 23. n. 106. & aliis concedit eit. Suarez cap. 53. n. 77.*

Nihilominus, pecuniæ exactiorem oblationemque pro intercessione &c. tanquam Simoniacam Ecclesiasticò jure reprobari, satis certa doctrina est Sylvestri *V. Simonia, q. 6. citt. Navarri n. 106. Lessii cap. 35. n. 46. Suarez n. 14. & ipsius S. Thomæ 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. Simonia redarguentis eum, qui ad spirituale obtinendum pecuniâ viam sternit; quòd in ejusmodi exactiõne & oblatione labem apertè agnoscant Nicolaus & Urbanus uterque II. Ille, dum *can. Statuimus 1. q. 1. Simoniacè Ordinatorum tres species, ex iisque unam statuit, quâ Ordo simoniacè collatus est à non simoniaco; quòd pecunia non ipsi ordinanti, sed istius ignorantis familiari tantum fue-**

rit oblata. Ille, dum *can. fin. 1. q. 5. tanquam cum Simoniacè ordinato ad Ordinum usum dispensavit cum eo, pro quo pecunia non ipsi Episcopo ordinanti, sed alicui Principum, hoc est, familiarium ipsius oblata fuit. Ratio est; quia intercessio & preces sunt causa moralis ipsius collationis, ordinationis, dispensationis &c. quam qui emit, virtualiter emere præsumitur ipsam collationem, præsentationem, ordinationem, dispensationem; quia preces neque æstimat, neque comparare intendit, nisi ut virtute continentes ipsam collationem, ordinationem, dispensationem.*

Neque paritas hac in re est intercessionis seu precum cum informatione; quia ista, licet in praxi sæpe idem, quòd intercessio & preces, præter, speculativè tamen loquendò solùm repræsentat merita & qualitates personæ, sicut merita causæ proponuntur ab advocatis; neque vim habet precum & intercessionis; quia hæc vi & pondere suo collatorem movent & inducunt ad collationem &c. ut istius vera causa moralis & non, ut informatio, hujusmodi causæ mera applicatio sint, ut advertit *citt. Palao p. 11. n. 5.*

Dubium tertio est de redemptione vexationis in beneficio, per electionem, confirmationem, liberam collationem, aut quamvis aliam provisionem obtento, vel obtinendo: quæ an Simonia vitio laboret, dubitandi ratio oritur ex *can. Quæsitum 1. q. 3. Sc. Dilectus 28. b. ac Rubric.* ejusmodi redemptionem non redarguentibus, & in speciem apertè contrariis tenori *c. Mattheus 23.* quò pro Simoniacâ habetur electio ejus, cujus amicus ei contradicentium alicui pecuniam dedit; ut desisteret à contradictione; quas summorum Pontificum decisiones ut ab antinomia vindicent, Interpp. ac DD. cæteri admodum laborant, & qui eas accuratius



zatiùs ponderarunt, in concordiam fegè reducunt auxiliò distinctionis inter duos utriusque casus.

Unus est, quòd post jus in beneficio jam plene quæsitum, in eo facta injusta vexatio & molestia redimuntur: quòd casu Simoniam non committi, cum S. Thoma *cit. art. 2. Panormit. in c. Dilectus cit. n. 3. Navarro cit. cap. 23. n. 102. Sylvestro V. Simonia. q. 13. pr. & aliis VV. ac RR. tradit Gonzalez in c. Mathaus cit. n. 2. propter duos textus priori locò relaxatos. Ratio est; quia hujusmodi vexationis redemptione pecunia, non pro aliquo spirituali; cùm hoc plene jam sit obtentum: sed solummodo pro cessatione ab injuria & molestiis datur.*

Neque obstat; quòd *c. Dilectus cit. is*, qui vexationem intulit, pecuniam restituere solum jubeatur, si ab illa non desistat; ac proinde, argumentò ductò à contrario, si desistat, eam possit retinere: contrà quàm deberet, si redempta vexatio fuisset injusta; quia Regula generalis instat est; quòd, qui justè datum injustè accipit, ad accepti restitutionem obligetur, *can. fin. 14. q. 5. l. 1. & l. Ut puta 2. ff. de Condiç. ob turp. caus.* Non, inquam, hoc obstat; quia, ut probè advertunt *cit. Suarez cap. 50. n. 16. & Barbosa in c. Dilectus cit. n. 9. Cælestinus III.* solummodo respondit ad interrogata; querela enim ei proposita non fuit, nisi de non servata promissione. Unde, hanc servari, vel pecuniam acceptam restitui, Papa jussit, quin hanc restitutioni non obnoxiam esse, statueret, si promissio esset observata; hoc enim neque asserit Papa, neque legitime à contrario inferitur; cùm illi locus non sit, quando eò illati contrarium Jure est expressum, vel iniquitatem continet, aut ex eo sequitur aliquod absurdum, per tradita à *Barbolâ Commun. argument. lo-*

*co 27. n. 29. & 34.*

Alter casus est, quòd vexatio fit in beneficio vel alio jure spirituali nondum plene quæsitò, vg. ad confirmationem electi, præsentati institutionem &c. impediendam cujusmodi vexationis redemptionem ab eo, qui ad beneficii assecutionem prodesse potest, pro Simonia cum iisdem habet *Suarez cit. cap. 50. n. 18. propter c. Mathaus cit. decisionè, in cujus casu vexationem, quæ redempta est, ad impediendam confirmationem illatam fuisse, advertit n. 9. ante quam obtentam jus in beneficio plene quæsitum non esse, liquet ex c. Nôsti 9. c. Qualiter 17. de Elect. & c. Avaritia 5. eadem Rubr. in 6. Ab eo, inquam, qui prodesse potest, ut sunt electores, collatores, patroni, alique concurrentes ad beneficii assecutionem; ab eo enim, qui obesse tantùm potest, puta ab eo, qui electorem vel eligendum, ne suffragium ferre aut eligi valeat, impedit, aut aliquem ad ejus promotionem impediendam injustè infamat &c. injustam vexationem, beneficii assecutioni obstantem, redimi absque Simonia posse, haud ègrè concedunt *Ugolinus Tab 1. cap. 9. §. 8. n. 3. & cit. Suarez n. 23. partim; quòd id nullò Jure prohibeatur: partim verò; quòd hujusmodi vexationis redemptio solum removeat injuriam illatam in fama, libertate: & viam ad beneficium non reddat expeditiorem, quàm fuit ante injustam impedimenti oppositionem.**

Dubium quartò est de oblatione pecuniæ, facta electoribus; ne eligant indignum: quæ, licet in materia beneficali semper periculosa suspectaque & ferè scandalo obnoxia sit, locus tamen aliquis est distinctioni; cùm, licet regulariter sit illicita: &, si certæ alicujus personæ electio directè intendatur vel procuratur,

71.

72.

73.



retur, à Simoniacà labe excusari in praxi vix possit; quòd sub prætenu remotionis indignæ pro alterius electione oblata præsumatur; justa tamen esse potest, & foret casu, quò ob notam pravitatem affectus eligentium præficienda Ecclesiæ esset persona, quæ illi damnosa & obfutura judicatur; istiusque damnum & illius remotio per recursum ad superiorè, aliave ratione non posset impediri. Ita cum Navarro *cit. cap. 23. n. 102.* & Soto *Lib. 9. de Justitia q. 6. art. 1. ad 1. c. it.* Suarez *cap. 50. n. 41.* Laiman. *cap. 8. n. 23.* & Palao *p. 20. n. 8.*

## ARTICULUS VI.

De Gravitate criminis  
Simonix.

## SUMMARIUM.

74. *Simoniam utroque Jure reprobata,*  
75. *Maximè injuriosa Deo & Ecclesiæ pernitiosa est.*  
76. *Opponitur virtuti Religionis:*  
77. *Aliquando etiam Fidei ac Justitiæ.*  
78. *Eam ex parvitate materia venialem aliquando esse, asserentium,*  
79. *Et negantium vera Opinio.*

74. **S**imoniam ex genere suo mortale, & gravissimum peccatum esse, Orthodoxorum nemo est, qui in dubium aut controversiam vocet; cum post hæresin vix ullum crimen sit, quod sacri Canones ita execrentur, sicut Simoniam: quam passim vocant Turpissimum lucrum, *can. Si quis 8.* Flagitium execrabile, *can. Reperiuntur 7.* & Piaculare, sive par illi, quod morte expiatur, *can. Quisquis 5.* junctâ Glosâ, *V. Piaculare, 1. q. 1.* Crimen horribile,

*c. Cum in Ecclesia 9. hæc Rubr. & Blasphemix Judæorum, Judæque Proditoris peccato comparandum, can. Eos qui 21. q. 1. cit.* Labem & Pestem tantam; ut sui magnitudine alios morbos vincat, *c. Cum sicut 6. & c. Tanta 7.* imò Hæresin, *can. Presbyter 3. can. Quisquis cit. ibi, Qui contra Simoniacam & Neophytorum C. à Simone mago Neophyto sic dictam, Glosâ in can. cit. V. Neophytorum) Hæresin non vehementer exarserit, can. Citta liqueat 13. q. 1. c. Quoties 5. hæc Rubric. nec qualemcumque, sed Macedonii Hæresi graviolem, can. Eos qui cit. & omnium præcipuam primamque, can. fin. 1. q. 7.*

Nihilò mitius Simoniam habent Leges Imperiales; cum ejus labe infectos ad instar criminis publici & læsæ Majestatis reos puniri & à Sacerdotii gradu dejectos perpetuâ infamiâ notari voluerit Leo Imp. 1. *Si quemquam 31. C. de Episc. & Cleric. can. Sanè 15. q. 3.* relatus.

Neque ista immeritò, cum vix aliud crimen sit magis injuriosum Deo: cujus supernaturalia & præstantissima dona aliæque res sacræ & spirituales, dum pro temporalibus ac prophanis venales exponuntur, viles contemptibilesque redduntur: vix ullum pernitiosius Ecclesiæ; quia per Simoniam indignis & sæpe sceleratis hominibus ad Prælaturas, dignitates & beneficia Ecclesiastica sternitur via, & aditus aperitur, magnò fidelium scandalò & maximò Ecclesiarum probrò damnòque ac periculò animarum.

Dubium tamen hoc loco est, cui virtuti opponatur Simoniam. Dubitandi ratio gemina est. Prima; quòd *can. Presbyter*, aliisque *can. cit.* nominetur Hæresis, quæ est species Fidei oppositæ Infidelitatis, secundum D. Thomam *2. 2. q. 10. art. 5.* Altera; quòd spiritualium, qui ea ministrant, non domini, sed



ni, sed tantum dispensatores, 1. Corinth. cap. 4. v. 1. dispensator autem bona, quæ dominus gratis, sicut spiritualia Christus Matth. cap. 10. v. 8. dispensari voluit, vendendo peccet contra Justitiam: cui propter hanc rationem Simoniam opponi, docet Sotus Lib. 9. de Justitia q. 5. art. 1.

96. At, licet istarum rationum utrique aliquid tribuendum sit, per se tamen & principaliter Simonia Religionis potius quam Fidei aut Justitiæ virtutibus adversatur; cum ejus malitia sita sit in eo; quod res Divinæ & spirituales, quæ omne pretium excedunt, cum temporalibus coæquantur & pretio venales exponantur, tractentur indignè & irreligiosè: quod est peccatum oppositum virtuti Religionis, ut ex aliorum DD. sensu tradunt Suarez de Simonia cap. 3. n. 1. Laiman. Lib. 4. tract. 10. cap. 8. n. 4. & Palao Tract. 17. disp. 3. p. 1. n. 3. & pravò voluntatis affectu committi potest sine interno judicio, quod res spiritualis pretio æstimabilis esse judicetur, ut cit. Suarez cap. 1. n. 6. & Palao cit. n. 3. advertunt.

77. Hòc tamen non obstante, textibus cit. non malè Hæresis appellatur, non; quod licet cum Infidelitatis peccato necessario conjuncta non sit: aliquando tamen conjuncta esse possit, si nimirum spirituale cum temporali in comparationem & commutationem venire posse judicetur: imò conjuncta fuerit in authore suo Simone mago, donum Dei pecuniâ possideri posse, temerè existimante, Actor cap. 8. v. 20. cujus sectatores se profiteri videntur, qui spirituale aut huic annexum vendere præsumunt.

Pari modò Simonia, licet cum injustitia sæpe, quoties scilicet spirituale concedens nullum perdit emolumentum, aut incommodum subit, conjuncta sit;

committi tamen sine injustitia potest v.g. ab eo, qui pro pecunia beneficium in favorem alterius resignat; cum enim talis se privet commodò temporali, quò frui ipse potuisset, in ejus compensationem accipiens pecuniam, injustitiam non committit contra dantem: neque etiam propriè contra Deum; cum eum nullà re spirituali privet, sed istà tantum indebitè utatur, eamque indignè tractet: quod est peccatum Sacrilegii contrarium virtuti Religionis, Suarez cap. 4. n. 2. Neque refert; quòd homo spiritualium tantum sit dispensator; quia ita resignans dispensator non necessarius, sed voluntarius est; cum spiritualis eique annexi temporalis habeat usum, pro cujus in alterum translatione indebita pecuniam accipiens istius jus lædere non videtur. Idem n. 5. & Lessius Lib. 2. de I. & L. cap. 35. n. 158.

Dubium est, an Simoniæ peccatum 78. ob solam parvitatem materiæ esse queat veniale. Quod suaderi videtur decisione c. Et si quæstiones 18. quâ Archiepiscopus Strigoniensis, quòd ab ipso pro Palio datum fuerit modicum, excusatur à Simonia: & paritate cum aliis peccatis, adversantibus Religionis, v.g. cum violatione voti, aut juramenti promissorii, cujus malitiâ ratione materiæ augeri, minuique & veniale esse posse, cum Sylvestro V. Juramentum 4. q. 1. & Navarro Manual. cap. 18. n. 7. docent Suarez de Juramento Lib. 3. cap. 16. n. 9. & Sanchez Lib. 3. Moral. cap. 4. n. 23. Cur non etiam Simonia, si pro minima re spirituali v.g. pro modica aqua benedicta res temporalis modica detur?

Nihilominus, Simoniam ratione materiæ venialem esse posse, meritò negant Navarrus Lib. 3. Consil. 52. n. 3. Ugolinus Tract. de Simonia tab. 1. cap. 17. pr. n. 1. cit. Suarez cap. 3. n. 5. Sanchez cap. 79.

H

chez cap.



chez cap. 4. n. 1. & Barbosa in c. Esti  
questiones cit. n. 3. Ratio est; quia,  
quantumcunque spirituale in suo genere  
exile sit, gravis injuria Dei & rei spiri-  
tualis est, eam venalem facere & tem-  
porali pretio coæquare. Neque refert;  
quod pretium sit leve; quia quò istius  
quantitas est minor, eò major est villi-  
pensio rei spiritualis & in hanc irreveren-  
tia crescit.

Neque in contrarium urget c. cit.  
decisio; quia istà à Simonia Archiepi-  
scopus excusatur non; quòd pro Pal-  
lio modicum sit datum: sed; quòd ex  
rei datæ parvitate eam non ex pacto, aut  
in pretium rei spiritualis vel ad hanc ob-  
tinendum, sed merè liberaliter datam esse,  
præsumatur præsertim, si in necessitate  
aut inter conjunctos detur, ut in c. cit.  
notat Barbosa n. 3. & Pirrhing ad hanc  
Rubric. n. 134. Neque paritas est cum  
voti aut juramenti violatione; quia istà  
per se & directè non violatur res aliqua  
Divina, sicut contingit per conculationem  
& venditionem rei sacræ, vel per  
hæresin & blasphemiam, quibus Simo-  
nia can. Presbyter can. Eos qui cit. Et.  
æquiparatur, Suarez cap. 3. cit. n. 5. &  
Palao disp. 3. cit. p. 1. n. 7.

### ARTICULUS VII.

## De Simoniacorum Pœnis.

### SUMMARIUM.

80. Pœna Jure lata nec Mentali,  
81. Nec purè Conventionali Simoniâ:  
82. Parte tamen pretii, pro spiritali  
accepti, solutâ:  
83. Imò solò spiritali Simoniâ datò  
receptòque contrahuntur.

84. Probabile tamen est, ad eas con-  
trahendas exigì Simoniam rea-  
lem utrinque completam,  
85. Et commissam circa Ordines, Reli-  
gionis ingressum vel beneficium.  
86. Pœna Simoniaci ingressus Religio-  
nis:  
87. Quibus variis casibus non est locus.  
88. Pœna Simoniacæ Ordinationis,  
89. Et provisionis beneficalis:  
90. Quæ ipsò jure irrita,  
91. Et provisus inhabilis est ad idem eò  
vice:  
92. Non etiam ad alia beneficia obti-  
nenda.  
93. Idem privari potest beneficiis ob-  
tentiis:  
94. His tamen ipsò Jure privatus non  
est.  
95. Pœna Simonia Confidentialis.

**A**Tque hæc tam detestandi ac per-  
niciosi criminis enormitate per-  
moti Canonum Ecclesiastico-  
rum conditores, in ejus reos  
severissimæ animadversionis pœnas con-  
stituerunt: quarum tamen nulli Simo-  
niam merè Internam imò & Mentalem,  
quæ rei spiritualis, cum intentione al-  
terum ad temporale, aut vicissim ad il-  
lud pro isto dandum obligandi, tradi-  
tione, sine ulla tamen pœnitione committi-  
tur, obnoxiam esse, cum S. Thoma 2.  
2. q. 100. art. 6. defendunt Navarrus  
Manual. cap. 23. n. 102. Suarez de Si-  
monia cap. 55. n. 10. & Gutierrez Lib.  
2. Q. Canon. cap. 23. à n. 31. Ratio  
est; quòd pœnam aliquam in ejus reos  
Jure constitutam, non constat: imò eam  
in foro Conscientiæ interno per terò  
pœnitentis absolutionem & satisfactio-  
nem Creatori exhibitam sufficienter ex-  
piari, à Gregorio IX. sit rescriptum c.  
80.

Neque



Neque, poenam aliquam pro foro xterno etiam in istius Simonie reos conliti, expediebat; quod potestas Ecclesie externa eam neque infligere, neque se contracta pronuntiare unquam posset; cum, licet in Simonia etiam mentali actus externi, scilicet datio receptiove spiritalis pro temporalis, aut vicissim interueniant, actus tamen isti eorumque circumstantia externa omnino indifferentes, pravaque intentio dantis & accipientis tota occulta sit: Ecclesia autem de occultis non iudicat, c. *Sicut tuis* 33. & c. *Tua nos* 34. & cogitationis poenam nemini infligat, can. *Cogitationis* 14. disp. 1. de *Penis*.

81. Quin Simonie etiam mere Conventionalis (non-Confidentialis) convictos, licet arbitrio iudicis coercendi sint, à Jure tamen inflicta aut constituta certa poene obnoxios non esse, cum est. Navarro n. 104. & alii docent Suarez cit. cap. 55. n. 16. & Palao Tract. 17. disp. 9. p. 22. n. 2. quod sacri canones Simoniacos punientes utantur verbis, non putas conventiones, sed actus ab iis procedentes, ut sunt datio receptiove pretii, ordinatio, electio, confirmatio &c. denotantibus, ut patet ex can. *Presbyter* 3. can. *Quisquis* 5. Sc. 1. q. 1. can. *Sicut Episcopum* 3. Sc. 9. 3. can. 1. can. *Saluator* 8. Sc. 9. 3. c. 1. c. *Qui alium* 2. c. *Non satis* 8. Sc. *Extravag. 1. Extravag. Cum detestabile* 2. hac Rubric. qui proinde textus, cum penales & odiosi sint, ad Simoniam, cum spiritalis aut temporalis exhibitione receptione non conjunctam, non sunt extendendi, arg. Reg. *Odia* 15. & Reg. *In penis* 49. in 6.

82. Dubium est, an Jure late poene incurrantur per Simoniam Mixtam, hoc est, non utrinque, sed ex altera duntaxat parte completam. Non quidem, si incompleta tantum sit; quod ex una, vg.

beneficium: ex altera vero parte, pretii promissi vg. centum aureorum solummodo pars aliqua vg. decem traditi sint; cum enim tali casu consummata jam sit commutatio spiritalis pro temporalis; ac proinde commissi Simonia realis, poenas Jure proditas incurri, nemo est qui inficias eat, cit. Suarez n. 17. & Palao n. 3. Quodsi pretium quidem exhibitum, at nondum traditum sit spiritalis, Juris poenas non contrahi, iidem docent n. 16. & n. 2. quod sacri Canones eas constituerint ordinationi, collationi, electioni &c. per Simoniam facta; ac proinde isti, rei saltem spiritalis traditione completa; idque magna ratione; cum ante istam traditam spiritalis nondum traditum sit irreverenter.

83. Si ex una, spiritalis vg. beneficium traditum sit: ex altera vero parte, temporale solummodo sit promissum, poenas Jure latas incurri, asserunt Sotus Lib. 9. de *Justitia* q. 8. art. 1. Valentia Tom. 3. disp. 6. q. 16. n. 6. & Garcias p. 8. de *Benef. cap. 2. n. 20.* aliorum DD. auctoritatem, Rotae decisiones & Curiae stylum pro sua hac Opinione allegans à n. 28. Eandem firmant Jure, can. *Ea qua* 1. q. 3. c. *Cum super* 2. de *Confess. c. Nobis* 27. Sc. *Si quis ordinaverit* 45. hac Rubr. quibus locis omnibus Ordinationes, Electiones &c. data, vel promissa pecunia, facta, Jure late poenas subiiciuntur. Consonant *Extravag. Cum detestabile cit. & Constitut. Pij V. quae incipit Cum primum*, edita Calend. April. 1566. quibus, ab Ordine suspensi & dignitatibus Jure privati, generatim asseruntur ordinati & promoti Simoniaci: quales proprie loquendo etiam sunt, quicumque ordines vel dignitates interveniente pecunia promissione sunt assecuti.

84. At, licet Opinionem hanc Jurvalde consentaneam adducti textus reddant, proba-



probabilitate tamen non caret, & in praxi tuta est Opinio Navarri *Manual. cap. 27. n. 103.* Covarruviae in *Reg. Peccatum, p. 2. cap. 8. n. 7.* Gutierrez *Lib. 1. Q. Canon. cap. 9. n. 10.* Flaminii *Lib. 7. de Resignat. q. 2. n. 16.* & aliorum, ad contrahendas, quæ in Simoniacos Jure proditæ sunt, poenas Simoniam utrinque completam exigentium, & pro se pariter Curia stylum allegantium & ratione nitentium eâ; quod poenæ in dubio restringendæ potius sint, quàm extendendæ, *arg. Reg. Odis & In penis cit. præsertim, cum Extravag. cit. æquè de datione & receptione pretii, quàm beneficii, loquatur.*

85. Porro, licet variæ poenæ à judice per sententiam infligendæ *can. Reperiuntur 7. can. Si quis 8. Ec. can. Quidquid 101. Ec. 1. q. 1. c. Sicut 6. c. De hoc 12. c. Veniens 19. hæc Rubr. Ec.* reperiantur, ob Simoniam tamen etiam Realem & utrinque completam ipsò Jure & factò nulla contrahitur, nisi crimen illud commissum sit in ingressu Religionis, Ordine vel beneficio Ecclesiastico, ut cum *cit. Navarro n. 111. §. Sextò & §. Septimò, Suarez n. 15. Lessio Lib. 2. de I. & L. cap. 35. n. 130. & aliis docent Laiman. Lib. 4. tract. 10. cap. 8. n. 69. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 154.*

86. Primò itaque circa ingressum Religionis, sive pro alicujus in monachum vel monialem receptione pecuniam ex pacto dantes & recipientes personæ singulares excommunicationem: Capitulum autem sive Conventus, in hujusmodi receptionem Simoniacam consentiens, suspensionem ab officio capitulari incurrunt, *Extravag. 1. cit.* quarum Censurarum absolutionem, licet ibi Papæ reservetur, tamen si delictum occultum sit, ab Episcopo obtineri posse, vigore decreti S. Synodi Trident. *sess. 24. cap. 6.*

*de Reformat.* rectè docet Anton. Theaur. *de Penis Eccles. p. 2. V. Simonia, cap. 10. n. 1.* Deinde, ita scienter aliquem recipientes & recepti, postquam de Simonia convicti & condemnati sunt, à Monasterio expelli & in arctius detrudi jubentur, *c. Quoniam 40. nisi cum ipsis ad remanendum ab Episcopo dispenseretur, ut ex Extravag. 1. cit. defumit idem Theaur. n. 5.* Unde, professionem Simoniacè editam valore non destitui; ac proinde professo uxorem ducere & ad seculum redire non licere, colligit Sanchez *Lib. 2. Consl. cap. 3. dub. 104. n. 5.* Denique, ab iisdem Juris infamiam incurri, per *Extravag. 1. cit. §. Certum & consequenter eos fieri irregulares, saltem si crimen sit notorium, Juris aut Facti notorietate, docet cit. Theaur. n. 3. & 4.*

87. Rectè tamen hac in re DD. notant Primò, recentis Juris poenis locum non esse, cum sponte oblata, aut ad professi sustentationem vi consuetudinis antiquæ etiam exacta recipiuntur, Sanchez *l. cit. n. 50.* Secundò, iisdem locum non esse, cum aliquid exigitur pro ingressu per professionem non consummato, licet hoc casu Simonia indubitè committatur, *cit. Laiman. cap. 7. n. 70. Palao p. 23. n. 3. Barbosa in Extravag. 1. cit. n. 5.* Tertio, dictas poenas à Clemente VII. &c. quoad moniales super dote recipienda pacifcentes, revocatas, *cit. Barbosa n. 4.* in vitrorum etiam Monasteriis eas raro incurri; quòd vix unquam pro ingressu, serè autem tantùm sponte oblata recipiantur, aut pro professi sustentatione aliquid exigatur, eamque exactioem tenuitas Monasteriorum & antiqua consuetudo cohonestet, Laiman. *cit. n. 7. §. Deinde.* Imò *Extravag. cit.* quoad poenam excommunicationis usu non receptam, Navarrus & Sylvester



Sylveſter ſentire videntur *citr.* Leſſio *cap. 35. n. 131.* & Palao *n. 3.*

88. Secundò, circa Ordines Imprimis excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt, qui pro ipſis & ſecundùm multos, (aliis tamen, nec maſè id negantibus) etiam pro prima tonsura obtinendis, vel pro aliquo ad eos Epifcopo præſentando vel commendando, & probabiliter etiam pro literis Dimiſſoriis pecuniam dant vel accipiunt, *Extravag. Cùm deſtabile cit. V. Statuentes, Laiman cit. cap. 7. n. 71.* Deinde, ipſò Jure & factò ſuſpenſionem incurrunt, ordinatus quidem ab executione ſuorum Ordinum ſimoniacè receptorum: ordinans autem à collatione ordinum quorumcunque, & omnium munerum Pontificalium executione, *c. Si quis 45. & Extravag. cit. uti & Conſtitut. Sixti V. quæ incipit Sanctum, edità Nonis Januarii 1588.* Demum, ordinans interdictus eſt ingreſſu Eccleſiæ, *cit. Conſtitut. Sixtinà: &* ſi hoc interdictum aut ſuſpenſionem violaverit, præter irregularitatem inſiſctam *c. 1. V. Caveant & c. Is cui 20. de Sent. excommunicat. in 6. à regimine & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ & fructuum ex beneficiis ſuis proventium omnium perceptione ſuſpēditur Conſtit. eadē, ordinatus autem ſuſpenſionis violatione, præterquam quòd irregularis etiam ipſe fiat, *c. Apoſtolica 9. de Cleric. excom. miniſtr.* privationem officiorum beneficiorumque, & ad ea inhabilitatem, ſi Secularis: ſi Regularis clericus ſit, privationem vocis activæ & paſſivæ, & inhabilitatem ad eam incurrit *Conſtit. cit.* quæ à Sixto hæc pœnæ omnes ſedi Apoſtolice reſervantur, cum derogatione Trident. *cap. 6. cit.* ut proinde ab iis abſolvere Epifcopus etiam nequeat, cùm Simonix crimen eſt occultum. Quamvis autem Conſtitutio illa ad Juris communis terminos redacta ſit à Clemente VIII, Con-*

ſtit. quæ incipit *Romanum*, edità pridie Calend. Martii 1595, ſtabilitæ tamen à Papa iſto ſunt cenſuræ & pœnæ contra ſimoniacè ordinatos à Sixto V. lata, ut advertunt *citr.* Suarez *cap. 56. n. 10, & 15.* Sanchez *cap. 3. Dub. 104. n. 28.* & Leſſius *cap. 35. n. 134.*

Tertiò, circa beneficia propriè dicta (non circa penſiones & vicarias ſolum 89.) tam ſimplicia quàm curata & officia Eccleſiaſtica, v.g. Prioris, Præovincialis, Guardiani, Rectoris Simoniam committentes Imprimis excommunicationem Papæ reſervatam ipſò Jure & factò incurrunt, ſi ea per electionem, poſtulationem, confirmationem, præſentationem, inſtitutionem aut quancunque aliam proviſionem, ſimoniacè factam, ſunt aſſecti: uti & ii, à quibus, & quorum mediatione vel cooperatione ita obtinentur, *Extravag. Cùm deſtabile cit. V. Per electiones, & V. Statuentes hæc Rubr. & Bulla Pii V. quæ incipit, Quam primùm* edita Calend. April. 1566. Ab hac tamen cenſura, cùm Simonia occulta & ad forum contentioſum deducta non eſt, abſolvere Epifcopum vi Trident. *cap. 6. cit.* & vi ſpecialis privilegii etiam Mendicantes poſſe, tradunt *citr.* Suarez *cap. 61. n. 4. & Palao cap. 28. n. 2.*

Deinde, electio, confirmatio, inſtitutio & quævis alia proviſio ad Eccleſiaſticam dignitatem, beneficium, officium &c. ipſò jure irrita & nulla eſt; ut per eam proviſus nullum jus conſequatur, & fructus, quos ſuos non facit, reſtituere in conſcientia teneatur, *V. Per electiones cit.* etiam ſi Simonia non ab ipſo recipiente; ſed, ipſò tamen ſciente & non contradicente, ab alio v.g. à parentibus, cognatis, amicis commiſſa fuiſſet, *c. Mattheus 23. Sciēte*, inquam: imò eò etiam *Ignorante;* cùm etiam ſic promotus beneficium, quod mediante Simoniâ ſibi obveniſſe 90. novit,



novit, dimittere teneatur *c. Si alicujus 59. de Elect. c. Nobis 27. & c. Sicut tuus 33. hinc Rubr. nisi in fraudem, hoc est, ad ipsum hac ratione ad beneficium inhabilem reddendum, pecunia data fuisset, cc. cit. Suarez cap. 57. n. 33. & Lessius cit. cap. 35. n. 143. qui tamen n. 138. & cum ipso Laiman cap. 7. cit. n. 73. monet, si electio vel presentatio canonicè: confirmatio autem, vel institutio simoniacè facta sit, ex istarum nullitate non etiam illas, scilicet electionem & presentationem, irritas existimandas, arg. c. Si confirmacionem 35. de Electione in 6. quod, quomodo cum mox referenda simoniæ poenâ conveniat, non satis assequor.*

91. Præterea enim beneficium simoniacè recipiens inhabilis est, ad idem beneficium pro ea vice sine dispensatione canonicè obtinendum, *c. Si alicujus cit.* ubi Barbosa n. 61. & Laiman n. 3. quam inhabilitatem pro ea vice, si quodcunque scienter, vel si beneficium duplex ignoranter simoniacè obtentum sit, solus Papa: si verò ignoranter ita obtentum est beneficium simplex, dispensandò tollere; ac proinde id liberè resignatum pro ea etiam vacatura conferre Episcopus potest. *c. Si alicujus cit.* ubi Laiman n. 4. Eundem ad alia etiam beneficia obtinenda inhabilem redditum, apud *cit. Sanchez n. 13.* multi volunt & desumunt ex *cit. Constituzione Pii V.* sed Pianam hanc constitutionem, quoad hujusmodi inhabilitatis poenam, usu non receptam, aut saltem eam sine judicis sententia non incurri, idem n. 14. & Suarez cap. 50. n. 10. & 11. observant.

93. Dubium est, an Simonia in beneficio commissa etiam inducat privationem beneficiorum canonicè obtentorum. Quod aliqui desumi existimant ex *c. Inquisitionis 21. de Accusat.* cujus *pr.* hujusmodi Simonia retentionem beneficii, eti-

am post peractam poenitentiam, dicitur impedire. Sed male; quia textum hunc de beneficio simoniacè obtento; & de retentione aliorum post sententiam judicis, Simoniacum iis quoque privantis, rectè exaudiunt *cit. Suarez cap. 58. n. 4. Palao p. 25. n. 4. & Pirrhing n. 169.* cum eò tantum Simoniacus quoad retentionem beneficii æquiparetur homicidæ: quem beneficiis non privatum Jure, sed per sententiam privandum, constat ex *c. Clericus 5. ibi, Honore privetur, Ne clerici vel monach.* Quare, hujusmodi Simonia 94. cum beneficiis ritè obtentis in poenam quidem privandum, vigore *can. Presbyter & c. Sicut c. De hoc cit.* ipsò tamen Jure & factò iis non privatum, cum Panormit. in *c. Cum clerici 6. de Pænis n. 2. Felino in c. Insinuatum 13. hinc Rubr. pp. Ugolino de Simonia Tab. 4. cap. 5. §. 6. n. 3.* meritò defendunt DD. *cit.* Ratio est; quia textus Juris respectu beneficii per Simoniam acquirendi sunt irritantes; respectu acquisite autem poenales, istorum privationem ipsò Jure induci, non exprimentes; & si hanc exprimerent, nihilominus sententia judicis saltem criminis declaratoria exigeretur, arg. *c. Cum secundum 19. de Hæret. in 6.*

Demum ob Simoniam confidentialem, etiam per solius beneficii collationem 95. aliæve provisionem completæ, ipsò factò contrahuntur poenæ prædictæ *Constitutionibus Pii IV.* quæ incipit *Romanum, 17. Cal. Novemb. 1564.* & Pii V. quæ incipit *Intolerabili, Calend. Junij 1569.* editis: scilicet Primò excommunicatio Papæ reservata, in quosunque, tam dandò quàm recipiendò, eam committentes lata: in qua poena, cum Simonia est occulta &c. tam dispositioni Trident. *cap. 8. cit.* quàm Mendicantium Privilegiis locum esse, volunt *cit. Suarez cap. 61. n. 11. in medio & Palao p. 28. n. 2. in fine.* Secundò, interdictum



terdictum ab ingressu Ecclesiæ, latum in Episcopos aliisque Prælatos superiores. Tertio, Nullitas per eam factæ resignationis & collationis. Quarto, privatio omnium beneficiorum & pensionum prius obtentorum. Hæc tamen, quia privatio purè pœnalis est, ante sententiam declaratoriam dimittendi obligatio in conscientia non datur, Lessius *cit. cap. 35. n. 147.* & Suarez *cap. 43. n. 13.* Quinto, inhabilitas ad idem & alia beneficia obtinenda: quæ tamen saltem quoad alia beneficia etiam sententiam requirit, ut cum Lessio *l. cit.* notat Palao *p. 25. n. 8.* Sexto beneficium ita simoniacè resignatum collatumque reservatur sedi Apostolicæ; ut ab ordinario collatore nequeat conferri, e jusque fructus malè percepti Cameræ Apostolicæ applicentur.

## ARTICULUS VIII.

## De Restitutione acceptorum Simoniacè &amp; Simoniæ Judice,

## SUMMARIUM.

96. Ante sententiam restituenda sunt beneficia simoniacè accepta :  
 97. Non etiam alia res spirituales :  
 98. Quarum Simoniacæ promissiones, non etiam traditiones irritæ sunt.  
 99. Ante eandem accepta pro beneficii collatione &c.  
 100. Ecclesiæ pauperibus vel danti sunt restituenda.  
 101. Uti & accepta pro spirituali, temporale commodum non afferente.  
 102. Vel ex Justitia debito.  
 103. Pro illo tamen accepta aliquando, tanquam stipendium, licitè retinentur.

104. Sententiam exigit restitutio accepti pro re merè spirituali.  
 105. Simonia fori merè Ecclesiastici crimen est :  
 106. Etiam si questio sit facti.  
 107. Laicum ejus reum aliquando punire potest judex Secularis

Quoad simoniacè acceptorum restitutionem primò intuitu Regulae instar statuendum videri potest, indiscriminatim quæcunque restitutioni obnoxia esse; quòd pactiones conventionésque super spiritualibus inita nullius penitus momenti sint, ex famigerato & omnino perspicuo rescripto Gregorii IX. *c. fin. de Pæni :* pacta autem & conventiones, quæ nullius penitus momenti sunt, mercis & pretii, à dante vel promittente in promissarium & recipientem transferendi vi delituantur; cum quoties actus ob legis prohibitionem nullus est, ex eo ad eò nihil transeat; ut recipiens neque exceptionis opt defendatur, *arg. c. Illud. 8. de Jure patro. nat. & l. Non dubium 5. C. de LL ut notant Farinac. Fragment. V. Lex, n. 176. & Barbosa Axiomat. V. Nullum, n. 5.*

Hac tamen in re unanimi ferè calculò Doctores statuunt discrimen inter Simoniacam Mercem & Pretium : & illam quidem sive spirituale aut huic annexum (beneficiò Ecclesiasticò duntaxat exceptò) restituendi obligationem Jure aliquò impositam, non agnoscunt. Rationem reddunt partim; quòd illam pretiò sive re temporali exhibitâ comparans, itaque eam indebitè tractans, non contra Justitiam, sed contra Religionem peccet : partim verò; quòd ad rei spiritualis translationem validam Jure Divino plus non requiratur, quàm in conferente potestas & præter hanc capacitas in recipiente : neque valorem impediât vel promoveat, quòd in-



quoddam interveniente pretio, aut sine eo sit facta; cum administratio Sacramentorum, Ecclesiarum vel altaris consecratio, benedictiones quæcunque & alii Ordinis aut jurisdictionis actus, & ipsa etiam administratio professioque Religionis Simoniacæ facta, illò spectatò, subsistant: Ecclesiasticò autem Jure fere beneficia tantùm provisiones irritatæ reperiuntur, *c. Martini* 23. *c. Nobis* 27. *Extravag. Cum de testabile* 2. *Ec. hanc Rubr. Lessius Lib. 2. de J. & J. cap. 35. n. 166. Suarez de Simonia, cap. 59. n. 35. Palao Tract. 17. disp. 3. p. 26. & Pirhing ad hanc Rubric. n. 185.*

98. Quare *c. fin. cit.* dispositio restringi solet ad materiam beneficalem. Neque dictis adversatur, etiam illa ad cætera quoque spiritualia porrigatur; quia eâ solummodo declaratur ex Naturali Jure descendens nullitas pactorum & conventionum, prout respiciunt obligationem in futurum: cujusmodi sunt, quibus de præstanda re turpi, ac proinde etiam de temporali pro spirituali dando convenitur; cum, sicut rei turpis cujuscunque præstatio, sic etiam spiritualium pro temporalibus concessionibus in detrimentum animæ & æternæ salutis dispendium vergant. Ex qua ratione pro spiritualibus obtinendis initæ pactiones irritatæ sunt *c. fin. cit.*

Hoc tamen non impedit, quò minus, sicut pro hominis cæde vel corporis prostitutione à sicario, vel à meretricæ accepta mercès: sic etiam pro temporali facta rei spiritualis traditio receptioque subsistat, & res recepta valeat retineri; cum ejus traditio receptioque irrita non sit, spectatò Jure Naturali & Divinò: neque *c. fin. cit.* relatò rescriptò Gregorianò, aliòve canone Ecclesiasticò irritata, (extra materiam beneficalem) facile reperitur, *citt. Suarez cap. 60. n. 4. & Palao num. 2.*

Alia, quàm mercis, sive rei spiritualis, ratio est pretii Simoniaci sive rei temporalis: cujus, in materia beneficiali sive electione, præsentatione, collatione aliòve provisione accepti, restituendi obligatio ante omnem sententiam ex Jure saltem Ecclesiastico datur, ex recepta doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 100. art. 6. ad 4. Sylvestri V. *Simonia, q. 20. Covarruviz in Reg. Peccatum, p. 2. §. 2. n. 6. Suarez cit. cap. 60 n. 3. & aliorum, id defumentium ex rescripto Alexandri III. pro consensu electioni præstito accepta sine diminutione restitui jubentis, c. De hoc 11. quòd sine gravi salutis periculo nequeant retineri. Ratio est; quia, cum Jus Ecclesiasticum conventionem de pretio pro beneficio exhibendo, & ipsam ejus exhibitionem ac traditionem, omnino irritaret, istius recepti dominium in recipientem; Jure illò impediendo, non transferretur; ac proinde, tanquam res non sua sed aliena, obnoxium est restitutioni, Gonzalez in *c. cit. n. 10.**

100. Quantumvis autem *c. cit.* hujusmodi pretii restitutio ex præcepto Apostolico facienda fuerit Ecclesiarum, in qua beneficium erat situm, eam tamen superioris arbitriò etiam pauperibus fieri posse, cum S. Thoma *cit. art. 6. ad 3. Victoria Relect. de Simonia p. 2. n. 6. & aliis existimat Gonzalez l. cit. n. 9. & his fieri consuevisse, præter alios Covarruvias cit. p. 2. §. 3. n. 6. testatur. Imò, antequam Ecclesiarum vel pauperibus per sententiam addicaretur, ei, à quo receptum est, pretii restitutionem fieri posse, suslinet Sotus *Lib. 9. de Justitia q. 8. art. 1. & aliis re-latis probabile censet cit. Palao p. 26. n. 5. quòd pretii privatio, respectu dantis, habeat rationem pœnæ legalis, judicis sententiam exposcentis; ut id amissum non possit retineri, arg. c. Cum secundum 19. de Hæret. in 6.**

Extra



101. Extra materiam beneficalem pretii traditiones receptionesque non omnes irritatae: & quod est receptum, non semper obnoxium est restitutioni; ut adeo locus sit distinctioni, an id etiam injustè, vel Simoniacè duntaxat sit receptum.

Priori enim modò receptum restituendi obligationem dari, exploratum est; cum restituendi obligatio ex Justitiæ Commutativæ violatione oriatur. Unde infertur, ad pretii, sive rei temporalis restitutionem teneri eum, qui id accepit pro re merè spirituali, sive ea, quæ ullum jus aut commodum temporale non afferit, *citt. Lessius n. 162. Suarez cap. 59. n. 11. & Laiman Lib. 4. tract. 10. cap. 8. n. 79.* Ratio est; quòd, cum tales res neque pretiò æstimabiles aut vendibiles, neque Ecclesiæ ministri earum domini, sed meri dispensatores, ad eas gratis dandas constituti sint, hi pro iis pretium recipiendi non habeant jus; ac proinde id recipientes non solum contra Religionè indignà earum contrectatione peccent: sed pretii receptione violent Justitiam, istiusque violatione contrahant obligationem restituendi.

102. Quà ex eadem ratione etiam tenentur, qui pretium exigunt pro re spirituali, commodum temporale afferente, si ea ex Justitia, v.g. à paroco ex officio suo Parochiali, debita fuit; quòd, cum etiam hoc casu pretium recipiendi jus non habeant, id recipiendò contra Justitiam peccent, *citt. Suarez n. 12. & Pirrhing ad hanc Rubric. num. 176.*

Ea autem pretii restitutio, seclusà speciali lege Ecclesiasticà, & ante sententiam judicis, illud Ecclesiæ vel pauperibus addicentis, facienda est ei, à quo est acceptum; quia per se, & lege vel superiore aliud non statuente, ratione injustæ acceptionis restitutio facienda est eà acceptione læso, *can. sm. 14. q. 5. c. 1. Sotus art. 1. & Suarez n. 27.* Unde, si iste, quod

Simoniacè dedit, gratuitò remittat, ab eo, cui dedit, retineri potest: donec in criminis pœnam id Ecclesiæ vel pauperibus applicare per sententiam jubeatur.

Quin, si pro Sacramenti administratione, celebratione Missæ, benedictione, aut simili functione alià, ex officio & Justitia debità, temporale tanquam spiritualis functionis pretium fuisset acceptum, id restituendi obligatio ante sententiam non daretur: sed tanquam congruæ sustentationis stipendium, ratione illius debitum, retineri posset, saltem si rei temporalis acceptæ æstimatio hujusmodi stipendium notabiliter non excederet; cum enim non tam receptione, quàm recipiendi modò, seu pravà intentione peccatum sit, istà deposità aut mutatà, id per modum stipendii justè honestèque retinebitur, *citt. Suarez n. 16. Laiman n. 81. & Palao p. 16. n. 7.*

Posteriori modò, sive simoniacè quidem, sed non injustè, si pretium receptum sit; quòd hoc pro re spirituali, jus sive commodum temporale annexum habente, puta, pro sacro oleo, calice consecrato, pro decimis vel jure patronatùs, secundum annexi temporalis comodi æstimationem sit acceptum, id restituendi obligationem, Naturali & Divinò Jure spectatò, & ante condemnatoriam judicis sententiam dari, negant *citt. Lessius n. 160. Suarez n. 35. Laiman n. 82. & Pirrhing n. 77.* quòd, licet tali etiam casu ejus receptio Simoniaca sit, eà tamen injustitia commissa non sit, si pretium non excedat æstimationem comodi temporalis, quæ cum re spirituali in alterum est translata.

Porro Simonia, non Secularis aut Mixti, sed Ecclesiastici fori est crimen; atque idcirco de ejus causis, etiam cum reus laicus est, cognoscere ac definitivè pronuntiare solus judex Ecclesiasticus potest, ut cum Glossà in c. Quàm sit 8. V. Malefactorum



*factores, de Foro compet. & Panormit. in c. cit. n. 20. docent Decianus Tract. Criminal. Lib. 5. cap. 86. n. 4. Delbene de Immunit. cap. 10. dub. 2. n. 1. & cit. Pirrhing n. 142. Ratio est; quod Simonia causa spiritualis & Ecclesiastica sint, cum Simonia, hæreseos criminis instar, ex Divino & Ecclesiastico Jure descendat; ejusque causa secundum utrumque hoc Jus, & non secundum legales sanctiones, sint definiendæ: spiritualium autem & Ecclesiasticarum causarum cognitio definitioque competat judici Ecclesiastico, non Seculari, c. Decernimus 2. de Judicijs c. Si iudex 12. ibi, Quia de re Ecclesiastica & spirituali est, de Sent. Excom. in 6. C.*

106. Neque id solum, cum de Simonia Juris, sed etiam, cum facti quæstio in iudicium venit; cum, sicut de hæresi, sic etiam de

Simoniam quoque mota facti quæstio ferè Juris, & ex Divino atque Ecclesiastico Jure decidendam, quæstionem involvat: Facti autem quæstionis, de re spirituali aut huic annexa in iudicium deductæ, cognitio, quoties quæstio Juris involvitur, Curia sive judicis Ecclesiastici propria sit, per tradita *Lib. 2. Tit. 10. n. 19.*

Quò tamen non obstante, laicum, sicut de Hæreseos, juxta dicenda *Tit. 7. n. 37.* sic etiam de Simonia crimine à iudice Ecclesiastico per sententiam condemnatum: & cum ejus crimen notorium est, puniri etiam à iudice Seculari posse, cum *Imola in c. Quam sit cit. n. 8.* notat *Felinus in c. cit. n. 5.* ut hòc saltem casu ejus punitionem Mixti fori esse, non male asserat *Barbosa in c. cit. n. 8.*



## TITULUS IV.

### Ne Prælati Vices suas sub annuo Censu concedant,

#### SUMMARIUM.

1. Ratio Ordinis.
2. Spiritualis jurisdictio materia est Simonia.
3. Unde nec vendit.
4. Nec pro annuo censu locari.
5. Vel concedi aut remitti potest.
6. Neque etiam conceditur in Curia Romana.

1. **G**enerali Simonia explanationi, tradita ad præcedentem, ad hanc & proximè sequentem Rubricam subjiciuntur duæ sa-

tis celebres ejus species: quarum altera Ecclesiastica Jurisdictionis: altera docendi Licentiæ concessione committi potest. De priori

2. Certum est, Prælaturas, dignitates & beneficia Ecclesiastica materiam Simonia potissimum esse ratione spiritualis officii sive jurisdictionis, potestatis & administrationis, Ecclesiarum & animarum regimen, uti & spiritualium & Ecclesiasticarum causarum in externo Fori, vel Poli, sive conscientia interno foro cognitionem definitionemque spectantis: eamque ob causam pretio aestimari aut comparari